DE

MORBIS QUIBUSDAM

COMMENTARII.

MORBIS

QUI IN BUSDAM

COMMENTARII

DE 42e12

DE MORBIS QUIBUSDAM COMMENTARII.

AUCTORE

CLIFTON WINTRINGHAM,

BARONETTO, M. D.

COLLEG. MEDIC. LONDINENS. ET PARISIENS. SOCIO,

SOCIETATIS REGIÆ SODALI, ET MEDICO REGIO.

—— Quod ad nos
Pertinet, et nescire malum est, agitamus.
HOR.

LONDINI,

Apud T. CADELL.

MDCCLXXXII.

PRAESIDI SOCIISQUE

COLLEGII MEDICORUM LONDINENSIS,

ARTIUM INGENUARUM PATRONIS,

PERQUE ORBEM TERRARUM

VERAE MEDICINAE CUSTODIBUS FIDELISSIMIS,

COMMENTARIOS HOS MEDICINALES,

EA, QUA SEMPER COLENDI SUNT, OBSERVANTIA,

D. D. D.

CLIFTON WINTRINGHAM.

LECTORI S.

COMMENTARIOS inſequentes edendo id tantùm voluit auctor, eas notationes indicare, eaſque admonitiones interponere, quibus morborum quorundam diſtinctio, praeſagitio, et ſanatio, certiores forent; utpotè quas aegrotorum curatio per annos quadraginta, tam urbe Londinenſi et ejus ſuburbanis privatim, quàm in valetudinariis militaribus peregrè, appoſitas et indubias reddidiſſe videatur. Plura de ſuo inſtituto dicere non refert; libentèr enim illius argumenti veritatem agnoſcit, quo ſe apud amicum ſuum Florum à jactationis culpâ purgabat Horatius, omnium poetarum ad cauſas rerum et conſecutiones perſpiciendas ſagaciſſimus:

" Multa fidem promiſſa levant, ubi pleniùs æquo
" Laudat venales, qui vult extrudere merces."

Lib. ii. Epiſt. ii. 10.

Vale.

Londini,
Idib. April. 1782.

COMMENTARII.

1. NERVORUM diſtentiones, quas convulſiones aut ſpaſmos appellare conſueverunt medici, quae ortum ſuum in abdomine habent, membra externa rapidiſſimè afficiunt: eae autem, quae à membris externis incipiunt, rariſſimè in corporis trunco inveniuntur.

2. Nervorum diſtentiones, quae locum habent in corporis humani muſculis, membrorum motui involuntario inſervientibus, vix, aut ne vix quidem, ullis ſignis antecedentibus adventuras eſſe ſe annunciant; neque provideri aut praecaveri poſſunt, cùm nullae mutationes praeeunt, quibus ex corporis externi ſeu aſpectu,

aut habitu, ſeu ex ejus motibus, vel oculis, vel ullo ſenſuum actu, aliquid tale fore percipiendum ſit.

3. Convulſiones, quae à membris externis originem ducunt, ſanatu ſunt difficiliores, quam eae, quae in abdomine imprimis natae ſunt.

4. Si bullulae gangraenam comitent, tum eam ab inflammatione genitam fuiſſe ſuſpicare liceat: in lentâ enim et ſpontaneâ gangraenâ, à virium vitalium aut motûs defectu, perrarò, ſi quandò, apparent bullulae.

5. Ulcera, quae in humani corporis habitu vitioſo locum habent, difficilè ſanantur, quippe ſaepè in gangraenam deſinunt.

6. Si gangraena ſit à putredine, cochleare unum aceti vicem medicamenti cardiaci meliùs et fortiùs ſupplebit, quàm vini firmiſſimi aut generoſiſſimi hauſtus.

7. Si

7. Si in gangraenâ adſit rima inter partem vivam et mortuam, et pus in rimâ appareat, plerumque ſalvus evadit aeger.

8. Suppreſſo fluxu haemorrhoidali, ſanguis majori copiâ ad venam portarum derivatur; et ſcirros in hepate ſaepè ex hâc cauſâ natos fuiſſe, mihi nota atque explorata fides eſt.

9. Obeſi magis periclitantur in febribus quàm macilenti. Solvitur enim vi febris pinguitudo, quae indè acris facta in venas reducitur.

10. Morbos inteſtinorum ſaepè revertentes, modò ſupra umbilicum, modò ſub umbilico, ubi et nil per alvum tranſmittitur, imò et aliquandò ſtercus per os redditur, plerumque ab eorum vel meſenterii glandulis ſtrumoſis oriri pro certo habendum eſt; niſi ab inflammatione ſaevâ vel conſtrictione hernioſâ hujuſmodi ſymptomata fieri pateat.

11. Cadavera acutis morbis abreptorum, quae ſcrutari mihi contigit, polypoſas, ut plurimùm, concretiones ad cor habuerunt.

12. Anxietas in pulmonibus haerere cognoſcitur à frigore, reſpiratu debili, arteriarum pulſu miti vel parvo: ſi verò pulſus bonus, ſpirandi facilitas, uti factam eſſe oporteat, et anxietas magna, tum non circa praecordia, ſed ſub ſepto tranſverſo haeret mali cauſa; forſan in partibus coeliacis, meſentericis, ventriculo, aut inteſtinis.

13. Anxietas paſſionem hyſtericam ſibi ſociam frequenter aſciſcit; quibus, ſi adſint arteriarum pulſus bonus, partiumque extremarum calor modicus, nullâ ſpirandi anguſtiâ comitante, medicamenta et remedia antiſpaſmodica dicta maximo cum uſu exhibentur.

14. In febribus continuis, ſi ſubitò ſiſtatur ſudoris excretio, ventris fluxus vel delirium ſaepiſſimè ſequetur.

15. Qui

15. Qui dolore ventriculi per longum tempus torqueri consueverunt, haud rarò derepentè moriuntur.

16. Experientiâ comperi, in anginâ saevâ, quâ musculi, tam cibi ac potûs devorationi quàm respirationi inservientes, fuerunt inflammati, et ora pharyngis et laryngis fuerunt occlusa, irritis aliis remediis, ab excitatâ largâ per nares haemorrhagiâ, aegros statim plurimùm fuisse levatos: undè meritò quaerere velim, an sectio arteriae temporibus sitae, in initio hujus morbi, scilicet antequam inflammatio in suppurationem vergat, non ex maximo fieret usu?

17. Venae jugularis aut occipitalis, sed praecipuè arteriae incisionem, cujus mentio jam jam facta fuit, admodùm juvasse in capitis dolore expertus sum; idem eâdemque operâ in phrenitide et maniâ continget.

18. In

18. In iis, quibus caput vulneratum ſit, aut plurimùm contuſum, etiamſi cranium aut fractum aut depreſſum non videatur, uſus trepani nullo modo negligendus eſt; eò quòd multi, qui hôc modo affecti fuerunt, poſt tres menſes ſymptomatibus cranii depreſſi ſubitâ morte perierunt, apertiſque craniis inventus fuit abſceſſus. Praetereà modo ſuprà dicto vulneratorum, adhibito trepano, apertoque cranio, membrana, dura mater dicta, ut plurimùm, aliquo gradu inflammata reperta fuit.

19. Qui lippitudine laborent, circa lunae et ſolis concurſus ſe pejores habent: hos eo tempore juvant diarrhoeae ſpontaneae, vel ex arte excitatae.

20. Qui pulmonis dolore vel gravedine diuturnâ afficiantur, phthiſici morientur. His enim fiunt pulmonis obſtructiones, ut ex cadaveribus inciſis novi. In hiſce aegris curandis cavendum eſt praecipuè, ne fiat inflammatio aut

ſuppuratio; tunc enim citò tabidi fiunt. Haec praecaventur optimè miſſione ſanguinis per idonea intervalla, parvâ tamen copiâ ſingulis vicibus dempti, comitante victu diluente et temperante.

21. Qui oculorum inflammatione affecti ſint, fotibus emollientibus et diſcutientibus, continuò ferè applicâtis et repetitis, s. a. maximè juvantur, praecipuè iis, qui cum aquâ calcis loco aquae communis fiunt.

22. Detractio ſanguinis ex venis jugularibus, nec non ex arteriâ temporibus ſitâ, in oculorum inflammationibus plurimùm juvat. Acria autem omnia, cujuſcunque ſint generis, in oculos inflammatos inſtillata, et dolorem excitantia, mala ſunt.

23. In iis aegrotis, qui anhelitu ſuſpirioſo torquentur, iiſque phthiſicis, qui dyſpnoeâ laborant, iſta medicamenta, quae materiae ſunt glutinoſae et tenacis, qualia ſunt electaria, pilulae et ecleg-

mata,

mata, ſpirandi difficultatem frequenter adaugent; multò meliùs cedunt medicamenta ſingularia ſub liquoris ſpecie exhibita, ad morbi genium indolemque aptè congruentia.

24. Qui frequenti narium haemorrhagiae ſint obnoxii, eâ ſuppreſſâ, ſaepè tabidi fiunt; ſanguinis autem miſſio temporè inſtituta hos maximè juvat.

25. Qui crapulae et ingluviei ſe dederunt tuſſi valdè pertimiſcendae ſunt obnoxii; hos autem ſanat parva victûs ratio, et pertinax à coenis abſtinentia.

26. Aſthmatici dicti circa mediam noctem maximè afficiuntur; malum hoc ex materiâ, per meatus cuticulares nimis parcâ copiâ excretâ, ortum ducere mihi incidit ſuſpicio.

27. Qui ſputo ſanguinis et haemorrhagiae narium ſint obnoxii, calore aeris modicè temperato, et frictionibus pro virium ratione conſtanter adhibitis, multùm

tùm juvantur, modò febre, vulgò hectica dictâ, non laborent.

28. Adolescentes, qui pectoris et corporis ferè totius musculos graciles, tenues, et laxos habent, ut plurimùm in tabem delabuntur.

29. Qui tusse hyemali afficiuntur, et periculum oritur, ne exindè phthisici fiant, leni frictione, et auctâ parùm per meatus cutaneos excretione, multùm juvantur.

30. Qui tusse frequenter ex humorum acrimoniâ et frigore contracto laborent, his valida et frequens narium emunctio ferè praesentaneam affert opem, praecipuè si loco tussis succedat narium destillatio.

31. Iis aegrotis, qui pulmonum ulceribus laborent, convenit corpus in situ declivo tenere, et in latus affectum incumbere; quibus fiet, ut, excitatâ tussi-

culâ, pus ſaepè ex ore adeò copioſè effluet, ut onere ſuo ſe multùm levatum eſſe experietur pulmo. Id bis vel ter die perficere commodum eſt, ne materia purulenta ex ulcere profluens pulmonem exedat.

32. Quibus ſit ulcus et pulmonis ad coſtas adhaeſio, ſi thorax perforetur eâ parte, quâ ſit adhaeſio, aliquandò multùm levantur aegri.

33. Phthiſici quamplurimi thoracis conſtrictione et dyſpnoeâ laborent, praeſertim appropinquante hyeme. His autem fotu calido et laxante thoraci applicato, ac veſtibus, quae frigus arcere poſſint, aliquod levamen afferre tentanda via eſt.

34. In acuto lateris dolore, idoneis exinanitionibus, ſcilicet ſanguinis miſſione et alvi ductione, aptâ copiâ inſtitutis, magnum ſolamen ſaepè affert veſicatorium lateri affecto impoſitum, imò

imò et cucurbitulas cum ſcarificationibus admovere utiliſſimum erit.

35. In vomitione aſſuefactâ, et ferè diuturnâ, convenit imprimis ſcrutari et ſcire, quales ſint cibi, qui maximè ſtomacho arrideant, et medicamenta iſtis congrua, et quantùm fieri poteſt conſimilia praeſcribere. Haec enim diutiùs ibi manebunt, et faciliùs digerentur.

36. Qui de die in diem alimenta vomere ſolent, mucoſam iſtam materiam, interiorem ventriculi tunicam illinentem, plus aut minus abraſam habent. His ventriculus quaſi nudus et degluptus eſt, et cibos potuſque ſtatim acidos aut acres evomunt, praeſertim qui vinum oleant. His plurimùm proſunt cibi mitiores, et medicamenta iſtius generis, cujus ſunt teſtacea cum rhubarbaro conjuncta, quibus ſociari debet opium, praeſertim ſi urgeat anxietas, quae humores acuit, et muci generationem impedit. Haec pauco cum liquore

idoneo, actu calido, potiùs quàm frigido, aliquandò nullo, dare convenit. Prior enim multò magis ventriculo arrideat. Praetereà notatu dignum est, me hisce morbidis ejusmodi remedia sub pastillorum formâ, continuò devoranda, feliciter exhibuisse *.

37. Quibus, habitu tenero et nervorum compagine delicatâ admodùm praeditis, assumpto medicamento vomitorio, contingere solent nervorum distentiones nonnullae, syncope, &c. convenit ventriculum largâ copiâ liquoris apti prius implere: quippe exindè inveni multò meliùs successisse vomitionem, et penitùs à nervorum distentionibus immunes fuisse. Haec symptomata, ut opinio mea fert, nimis citae et forti fibrillarum ventriculi irritationi, et inanibus vomendi conatibus, vacuo stoma-

* Vide etiam quæ notavi in Richardi Mead Monit. et Præcept. anno 1773 edit. lib. i. p. 251.

cho,

cho, tribuenda ſunt, ideoque robuſtis non aequè accidere ſolent.

38. Si vomitio continenter urgeat, dummodò nihil per ſe venter excernat, fruſtrà ſaepè immittuntur medicamenta alvum ducentia, imo cathartica per os exhibita ſtatim vomitum proritant. His medicamenta ex argento vivo parata, cum fortiſſimis catharticis ſociata, utilia novi. Hoc tamen in morbo, nil magis convenire inveni, quàm ventriculi regionem anodynis et aromatibus fovere, et inferiores abdominis partes linimento cathartico inungere, caeteris intereà non neglectis.

39. Si quandò medico contingat, ut operis ſui ſpiritus atque animus omnis eſſet, vomitum compeſcere et curare, nullis intereà ſignis ſtomachum pituitae aliuſve materiae acervo onerari ſe palàm facientibus, fotus, quorum jam jam mentionem feci, hujuſmodi aegrotis maximi ſunt uſus.

40. Diabete reverà affectis, ut plurimùm adeſt arteriarum pulſus celer et debilis, et adeò laxatur renum habitus, ut mingendi crebrâ cupiditate, et lotio ferè continuò profluente, magis magiſque ampla evadunt canaliculorum renibus ſitorum ora. Errant itaque meo judicio medici, qui medicamenta interna ad humores corrigendas ſolùm exhibent; contrahi enim debent ipſe renum habitus et ſubſtantia, ut citiùs cohibeatur profluvium iſtud. Ad hoc perficiendum et abſolvendum plurimùm valent fotus ex alumine et aceto, renum regioni applicati. Internè exhibenda ſunt incraſſantia, demulcentia, et acida, quàm minimùm alvum ducentia, quae omnia cortice Peruviano largâ copiâ ſociari oportet.

41. In urinae difficultatibus, ex humorum acrimoniâ ortis, abraditur mucus, veſicae collum et urethram illinens, undè fiunt dolores aequè ac ex pravâ ſanguinis

ſanguinis craſi; ideoque demulcentibus, et urinae acrimoniam emendantibus et temperantibus non neglectis, plurimùm juvant opiata, balnea, et fotus anodyni, regioni dolenti circumquaque applicati; ut et conſimilia, ope ſyringis idoneae, in veſicam immiſſa. Haec omnia largâ copiâ, et per vices frequentes, repetenda ſunt, praeſertim ut, ſi quid commodi ex liquoribus immittendis capiendum ſit, uti monitum fuerit, cognoſcatur.

42. Qui crebris inteſtinorum torminibus ſunt obnoxii, nec non qui dolorem et gravedinem ventriculi nocte inter dormiendum ſentiunt, victu parco uti debent, praeſertim veſperi.

43. Qui jecur infarctum aut aliquâ parte obſtructum habent, his tuſſe et fluxionibus variis cruciari conſuetudo eſt.

44. Errant, ut opinor, ſaepè medici, dum in ventriculi morbis dolore comi-

tatis,

tatis, pituitam ſolam ut plurimùm accuſant. Hujus enim redundantia certiùs ex aſſuetae plenitudinis ſenſu, et diuturno cibi faſtidio, quàm ex ventriculi dolore ſe palàm facit.

45. Febres rarò diarrhoeâ finitas novi, niſi ex crapulâ et ingluvie ortum duxerunt.

46. In iſtiuſmodi febribus, quibus ſudores caput aut pectus ſolùm occupant per dies aliquot, diarrhoea vel delirium ut plurimùm inſequitur, et ſaepè in propinquo mors eſt.

47. Criſis eſt illa corporis humani aegrotantis conditio, in quâ expectanda eſt maxima mutatio; at mihi non in mentem venit, ut quibuſdam placuit, exinanitionem dicere, quippe ſine illâ, licèt rarò, criſis fieri poſſit.

48. In febribus intermittentibus, ſi, inſtante vel manente frigore, timor adſit,

ne

ne moriatur aeger, tum maximè prodeſt illum lecto committere, et ope aheni, candentibus carbonibus accommodatè impleti, calorem increſcere, atque interna remedia non alia exhibere, quàm quae ſudores movendi virtute polleant.

49. Senum morbi plurimi ex impeditâ exinanitione per cutis meatus maximè oriuntur, et praeſertim ſpirandi difficultates et tuſſes: attamen ex eâ auctâ magnum auxilium pulmoni affertur.

50. Senes aeſtate benè ſe habent, et hyeme ut plurimùm moriuntur. Hoc ex impeditis exinanitionibus cutaneis, increſcente ſimul tempore hyberno pituitae mole, ortum ducere ſimile vero videtur: victus igitur minore copiâ aſſumptus his valdè convenit.

51. Erràſſe mihi videntur medici, cùm in malâ alimentorum digeſtione ſeu concoctione, frequenti vomitione comitatâ, bilis redundantiam incuſant; hu-

juſmodi enim morbi frequentiùs ex bilis defectu quàm redundantiâ ortum ſuum ducunt; et medicamentis et remediis, bilem generandi facultatem poſſidentibus, ſanantur. Erroris hujus origo obſervationibus minùs cautè perpenſis niti videtur, eò quòd materiam flavam et amàram bili ſimilem vomere ſolent hujuſmòdi aegroti. Haec autem materies, partim vi vomitûs, ex canaliculis bilis curſui et deductioni inſervientibus, exprimitur, et partim ex pinguibus devoratis, in ipſo ventriculo generatur; quae calore loci acrimoniam hanc et amaritudinem acquirunt, ut ex eo conſtat, quòd haec materies igni impoſita ſtatim flammam concipit, pinguedinis in modum, quod bili non accidit. Nullius autem morbi ſanationi magis conveniunt ſalina ſubacida, ſaponacea acida, modicè aperientia, cum largâ diluentium copiâ exhibenda.

52. Medicamenta, quae ad exſcreationem promovendam plurimùm valere et

et proficere poſſint, haud citò, quamvis ſiſti videatur ſanguinis ſputum, exhibenda ſunt.

53. Sputi exſcreationem in ſenibus provocare commodum eſt, pulmo enim indè plurimùm levatur.

54. Gangraena, quae ſuâ ſponte, nullâ adhibitâ vi, nata ſit, ferè ſemper lethalis evadit, praeſertim ſi ſenibus accidat, etiamſi abſcindendi quicquid ſit corruptum aut emortuum detur poteſtas. Oritur enim miſerum hujuſmodi malum ex arteriis oſſeâ ferè duritie praeditis, quod ex permultis cadaveribus deditâ operâ ſectis, mihi ſatis comperta res fuit.

55. In iis febribus, quibus langueat arteriarum pulſus et calor deficiat, convenit hominem rectè valentem eodem lecto aegrum juxta jacere, quod adeò conjuret amicè, ut exhalationes ſanas à corpore integro perpetim attractas alterius vires imbecilles plurimùm reficere, ac

quaſi firmare, nota et apud omnes pervulgata res eſt.

56. Quamdiu lentorem ſalivarium ſub ſputi ſpecie edant ſenes, benè ſe habent; ceſſante autem hujuſmodi exſcreatione, corporis habitus nimiâ congeſtione fit plenior aequo, ita ut, quaſi ex ſtrangulatione, cita mors ſaepè venit.

57. Qui in febribus habent pulſus arteriarum parùm diſtinctos, etiamſi ſanguinis pleni videantur, hi largas praeſertim ſanguinis miſſiones malè ferunt, et rariſſimè evadunt. Hi ut plurimùm malè ſpirant, et praeſertim, quod frequenter contingit, craſſi et obeſi reperiuntur.

58. Arteriarum pulſus plenus, tardus, undoſus, attonitos, lethargicos, alioſque ejuſmodi morbis laborantes comitatur; è contrà, pulſus tenuis, et celer, et inaequalis inſanis familiaris eſt: idem accidit iis, qui animos terrore et metu concitatos habent.

59. Quibus

59. Quibus ſanguis ex venis detractus rubeat, pelluceat, et tenuis, perindè ac ſi ex arteriis, appareat, hi ſanguinis miſſione non multùm levantur; et repetitas hujuſmodi detractiones malè ferunt. Quibus verò cruor, ſive rubra ſanguinis pars, poſtquàm ei ad ima vaſis reſidere datur poteſtas, firmior, craſſior, et nigridior appareat; hi ſanguinis miſſionem repetitam meliùs ferunt, neque iis, ex quâcunque aliâ exinanitione, tam citum tam certum affertur auxilium.

60. Duabus praedictis obſervationibus diligenter perpenſis, quaeret fortaſſè quiſpiam de cauſâ morboſi habitûs, cujus in primâ mentionem feci; illum igitur ex ſanguinis particulis globoſis nimis tritis et comminutis provenire autumo, undè detractâ ſanguinis parte aliquâ, ulterior ejus attritus et attenuatio, ſalvo aequilibrio, quod inter corporis humani ſolida et ſuccos ſervari neceſſe eſt, vix, aut ne vix quidem, haberi poteſt; eò quòd ſanguis

guis pondere levior et tenuior redditus leviori ictu arteriarum latera ferit, quò minor fit ſpirituum animalium ſecretio, ideoque minimè mirum eſt, quòd hujuſmodi aegri ſemper languidi et effoeti videantur. Quibus verò ſanguis craſſus eſt et firmus, ſublatâ ejus parte aliquâ, reliqua attenuatur, et meliùs cum ſero commiſcetur, atque ſatis forti vi ſe intendet arteriae ictus. Hujuſmodi ſanguinem robuſtis, ruſticis, bajulis, militibus, aliiſque, aſſiduo varioque motu exercitis, familiorem comperi; et priorem hypochondriacis, intemperatis, deſidioſis, delicatulis vulgarem et communem eſſe.

61. Aliquoties vidi, quòd largis exinanitionibus cujuſcunque generis inſtitutis, ſudores continui totis viribus in terga haerebant, tam nocturni, quàm diurni, qui ex habitu corporis debili et reſoluto ortum ducere videntur. Ad hos ſiſtendos valdè valet balnei frigidi uſus, modò corruptela viſcerum non vetat, aut

obſtructiones

obſtructiones quaedam internae ex oppoſito non ſint.

62. In quocunque morbi genere ſanguinis miſſi et refrigerati ſuperficies, pellis albae, durae, ſimilitudinem induit, indolem inflammatione comitatam denunciat, et rarò ſine repetitâ hujuſmodi exinanitione ſanatur iſte aeger; caeteriſque paribus, ex hâc ſolâ re cognoſcatur aliquo modo inflammationis gradus. Proſunt tunc diluentia, nitroſa, ſubacida, &c. Hujuſmodi ſanguis ex robuſtis aegris plerumque mittitur, et gravior eſt eo, qui diſſolutus, floridus et tenuis apparet. Hujus opinionis veritas ulteriùs patet ex Gulielmini Oper. tom. ii. p. 29.

63. In omnibus ferè dolorum generibus, praeſertim inflammatione comitatis, res ipſa indicat, imprimis, diminuere aliquid de viribus vitalibus urgentibus, dein corporis in omnes ferè partes nimis aſtricti conſtitutionem laxare, et poſteà ejus

ejus humores emendare; ea enim res, ſaeviente admodùm dolore, fruſtrà eſſet, cùm ita voluerit Deus O. M. acrimoniam proculdubiò increſcere, dum, ſtimuli more, cordi ſubſit cauſa acerba.

64. Si quandò mulierum menſes multùm diuque abundent, ora canaliculorum, ad hanc exinanitionem naturâ comparatorum, nimis ampliari neceſſe eſt; quibus anguſtandis prae caeteris omnibus proſunt fotus aſtringentes.

65. Ubicunque mulieri, tenero et hectico corporis habitu praeditae, nimis magnâ copiâ fluant menſes, aſtringentia temperata, incraſſantibus et demulcentibus adjectis, morbum feliciter ſanant. Ubi autem in cacochymâ corporis conſtitutione, aut hydrope laboranti, idem malum accidat, aſtringentia incraſſantibus et aromaticis conjuncta feliciter in menſium profluvio, et praeſertim intervallis exhibita, cedunt. In utriſque autem valent fotus praedicti. Hinc mihi

veriſimile

verisimile visum fuit, quòd fotus ejusmodi quotidiè, vel per apta intervalla, applicati ad regionem uteri, essent remedia maximè efficacia ad abortum praecavendum in iis mulieribus, quibus nimiâ copiâ sanguis utero affluit, aut quibus ex malo et nimis laxo corporis habitu partum elidere facile erit.

66. Quandò uterus quasi pertinaciter obseratus videatur, tum frequens usus fotûs laxantis et modicè aperientis, uteri regioni admoti, necnon et balnei tepidi inguinum tenus, adjectis simul iis rebus, quae menses proritandi virtute notissimâ pollent, omnium remediorum certissimum morbi levamen efficiunt. Convenit haec medendi ratio eo tempore prae caeteris, quo mensium reditum expectent hujusmodi mulieres, et praecipuè, si sub adventum novae vel plenae lunae.

67. Quò plus arteriarum pulsus se ad naturae normam accommodet, eò meliùs prorumpent variolae, et è contra. Qui-

bus autem lingua nigra et ſordida ſit, eo ferè tempore, quo ſe innoteſcere debent, hi aegri febre malignâ afficiuntur, et variolae evadunt confluentes dictae, et plerumque interitûs periculum ſimul oſtendunt *.

68. Si puer derepentè horrendis cruciatibus in ventris regione correptus ſit, adeò ut artus convulſos intentant tormina, vermes in plicaturis inteſtinorum latere, et morſibus puerum afficere, non temerè creditur.

69. In doloribus quibuſcunque, praeſertim diuturnis, convenit ſanguinem mittere, non ſolùm exinanitionis gratiâ, ſed etiam ut clariùs et certiùs cognoſcatur ſanguinis natura: in permultis enim, et praeſertim qui juvenili aetate floreant, ſanguis inflammatur, et pleuriticus fit. Hos juvant miſſio ſanguinis repetita, ni-

* Vide plura monita de hôc morbo paginis inſequentibus ſub finem.

troſa,

trosa, diluentia, et levibus anodynis socianda, si doloris acerbitas postulet.

70. Quibus hoc naturâ est insitum, ut alvus pertinaciter adstricta adsit, his non aequè juvant corporis exercitationes, ac quibus lubrica maneat.

71. Qui ulceribus malignis afficiantur, et hectici exindè fiant, horum ulcera non solùm digerentibus validis et calefacientibus tractanda sunt, sed eae corporis partes, quae in vicinitate versantur, epithematibus spirituosis fovendae, et continuò contegendae et muniendae sunt, ne ex nimiâ earum laxitate et humorum affluxu grave malum patiantur. His etiam conjungi debent medicamenta acrimoniam et calorem hecticum corrigentia, quae largâ copiâ, et frequentiùs quàm vulgò solent, repetere oportet, tam ob calorem, febremque hecticam, quàm ob largam materiae malignae et incoctae quantitatem ab ulcere

emanentem, et aegri vires quotidiè debilitantem.

72. Aegroti, quibus, veſicatoriis applicatis, cutis naturali ſimilis, ſtatimque exſiccata appareat, ut plurimùm moriuntur, gangraenam enim adeſſe per hoc indicium enuntiata res eſt.

73. Errant ſaepè medici, dum exercitationes aegris et valetudinariis imponant, praeſertim phthiſicis, quibus equitatio indiſcriminatim imperatur. Hujuſmodi enim exercitationes eò tantùm valent, ut corporis habitus adeò roboretur, ut nimius humorum effluxus per meatus cuticulares cohibeatur; vel ut adeò concutiatur, ut quaecunque materies intùs congeſta ſit per eadem ora excutiatur et expurgetur. Ubicunque autem acrimonia tenuis humoribus inhaereat, eaque ſola corrigenda ſit, noxiae ſunt eae corporis exercitationes, quae corpus fatigant. Hoc autem frequentiùs phthiſicis quàm aliis

aliis accidit, ob acrimoniam majorem et calorem hecticum comitantem *.

74. Qui circa novae vel plenae lunae adventum humorum fluxionibus, iisve quomodocunque turgescentibus sunt obnoxii, ut plurimùm per quadraginta et octo horas ante morbi accessum, fiunt inquieti, anxii, aut stupidi.

75. Qui modo jam dicto laborent, cum ex somno expergiscantur, pridiè ante morbi insultum, oculos habent humidos, musculos distentos, fonticulos (modò adsint) calidos cum labiis lividis, majorem urinae copiam, melancholiam, sudorum matutinorum suppressionem, praecipuè pedum, et frigus extremorum.

76. In iis uteri morbis, qui dolore comitantur, insuper et his symptomatibus, scilicet, ejus gravedine et quasi du-

* Hujusmodi aliquid apud Ricardi Mead Monita et Praecepta medica à me annotatum inveniet lector. Lib. ii. p. 260.

ritie,

ritie, connectuntur, medicamenta et remedia menſes leniter cientia, praecipuè ex ſapone confecta, et diu aſſumpta, praedictis fotibus * intereà ſimul haud neglectis, citiùs et certiùs omnia haec mala ad felicem exitum deducunt, quàm ea, quae ferrum ſuppeditat; quippè ferruginea uteri vaſa jam nimis dura et aſtricta magis coarctant et dolorem adaugent.

77. In fluore albo inveterato, prae caeteris omnibus, utiles ſunt mixturae ex medicamentis aſtringentibus et balſamicis confectae, ſi ope ſyringis idoneae intra pudenda injici queant; his enim malus uteri habitus ita roboretur, ut ulteriùs iſtius colluviei profluvium pedetentim cohibendum ſit, et tandem penitùs ſiſtendum. Nec cuivis alii medendi modo faciliùs cedet iſte morbus, cujus origo menſibus nimis magnâ copiâ profluentibus tribuenda ſit; ex ſe enim et naturâ ſuâ exploratum habeo, fluxus hoſce

* Vide ſuprà, § 65.

diuturnos,

diuturnos, internis medicamentis fruſtrà per longum tempus devoratis, citò iiſdem ex ſyringe in naturalia emiſſis, optimè ſanatos fuiſſe.

78. Quibus, tormentis bellicis graviter vulneratis, accedat febris ſine cauſâ manifeſtâ, inter curationem, materiam purulentam intùs latentem denotat.

79. Quibus corporis membrum alicujus momenti fuit abſciſſum, quale eſt brachium aut crus, hi fluxionibus maximè ſunt obnoxii. Ratio videtur in eo conſiſtere, quòd ventriculus eandem ciborum quantitatem, ac ante membri abſciſſionem, digerit, quae, ablatâ tantâ canalium omnium generum copiâ, qui ſpiramentorum officia et munera anteà exequebantur, non aequè facile excerni poteſt, quod nunc plus aequo ſuperſit. Hos juvant exinanitiones bene inſtitutae, et praeſertim quae per ſudores efficiuntur; horum enim ope meatuum cuticularium ora, ut decet, ampliantur.

80. Quibus

80. Quibus corporis partes extremae frigeſcant, et extenuentur, hi in morbum diuturnum incidunt.

81. Quibus plantae pedum, et palmae per noctem, quaſi calore exuſtae videantur, genaeque poſt paſtum rubeant, accedente ſudore matutino, pulſuque celeri licèt imbecillo, tabidi fiunt.

82. In corporis habitu tenellulo, iiſque quibus corpus congruas exercitationes ſuſtinere nequit, parva victûs ratio optimam contra periculum, quod minatur, praebet tutelam.

83. Atmoſphaerae calore nimiùm ſaeviente, febres malignae in caſtris aquoſis, aut paludibus vicinis expoſitis, praevalebunt; in ſiccis autem, ſynoches, nonnunquam putridae ſeſe palàm facere ſolent.

84. Caſtra ſtativa in ſylvarum vicinitate locata, valdè inſalubria militibus

evadunt: caſtra etiam ſtativa in campis humidis, aquoſis, paludoſis locata, cujuſcunque generis ſit caeli tempeſtas, non ſolùm tuſſes et fluxiones, pleuritides, dolores rheumaticos, ſed febres intermittentes epidemicas, imo tam numeroſam morborum acutorum, nec non et chronicorum cohortem inducunt, ut fas ſit ſuſpicari, ampliorem malorum prolem ex Pandorae pyxide vix avolare potuiſſe.

85. In anginae curatione refrigerantia et repellentia externè applicata vitanda ſunt; glandulae enim, quae ſalivae excernendae munere fungi debent, à ſtatu ſano adeò abſunt, adeoque debiles evadunt, ut humorum quibus farctae ſunt, vix aut ne vix quidem datur exitus: quamobrem ex hôc medendi modo, tandem ad malum immedicabile progreditur morbus.

86. Ubicunque gutturis muſculi potiùs quàm glandulae laborant, et hos potiùs quàm eas occupat inflammatio

aut infarctio, os et fauces colluere humectantibus, emollientibus, et parùm educentibus, ad ſanationem utiliſſimum erit. Cùm autem glandulae pituitâ lentâ infarciantur vices variare convenit, et medicamentis attenuantibus et ſtimulantibus tentanda via eſt, quâ nido ſuo ejiciatur materia craſſa, malorum in propinquo ova fovens, et quibus excutiendis glandularum vires, heu nimis infirmae, omninò impares ſint.

87. Si, amotâ febre aliquâ gravi, ſuperveniat inſania, cardiacis medicamentis et refocillantibus, ſananda eſt; et medicus citiùs erit voti compos, ſi ejus juſſu in lecto detineatur aeger: neque ex hâc medendi ratione timenda eſt febris recidiva.

88. Si cuivis guttâ ſerenâ laboranti ſuperveniat apoplexia, aut morbus comitialis, mortem aut morbum diuturnum et ferè deſperatum adeſſe pro conceſſo ſumendum eſt.

89. Si

89. Si attonitis, quorum et corpus et mens ſtupent, clyſter licet exiguâ copiâ immiſſus aut ſtatim effluat, aut prorſus retineatur, malum maximè pertimeſcendum jamjam adeſſe indicium eſt.

90. Qui ſemel morbo attonito correptus ſit, et poſteà fiat vertigini obnoxius, novos inſultus expectare debet.

91. Qui à paralyſi liberantur, punctiones, quaſi aciculis, uno alterove die in parte affectâ ſentiunt, priuſquam ad ſanitatem perveniant.

92. Exercitationes vehementiores ſtatim poſt aſſumptum cibum articulorum morbos gignunt.

93. Si liber ſanguinis aut humorum curſus per partem aliquam corporis humani adeò impediatur, ut ex hâc cauſâ aut vires vitales aut animales aut naturales laeſae et oppreſſae fiant, neque pro-

prio ſuo munere fungi queant, cavendum eſt ne balnei quilibet uſus tentetur.

94. Quibus ſit pulſus arteriarum debilis, aut quibus in viſceribus inhaereant ulcera, his valdè periculoſa ſunt balnea.

95. Dolores poſteriorem capitis partem aut verticem occupantes, plerumque affectioni hyſtericae indolis tribuendi ſunt.

96. Aquae minerales morbis febre comitatis exhibendae non ſunt.

97. Dolores plurimi, qui ſtatâ quâdam horâ redeant, leni catharſi inſtitutâ ſaepiſſimè ſanantur.

98. Dolor lateris aliquandò à craſſâ et lentâ ſanguinis craſi oritur, potiùs quàm à nimiâ ſanguinis copiâ, cujus indicium dat arteriarum pulſus debilis.

99. Miſſio

99. Miſſio ſanguinis liberior celebrari debet ſub caelo frigido habitantibus, cibiſque et potulentis generoſis utentibus, quàm iis, qui ſub caelo calido aegrotent, et victu parco ſe nutrire ſoleant.

100. Si per inferiora, veluti ſanguis niger coagulatus, deſcendat alvi profluvium, pro lethali ſigno habendum eſt.

101. Catharſin inſtituere poſt febres vernales non aequè neceſſarium, aut utile inveni, ac poſt autumnales; omittendo autem in poſteriori caſu alvum ducere, morbum aliquem periculoſum exindè adveniſſe notavi.

102. In febribus cujuſcunque generis ſint, quas cum devorandi difficultate, voce raucâ, oculis cavis, ſubſequantur tonſillarum dolor et inflammatio, certò ea ſigna ſunt ingruentis fati.

103. Quôcunque modo accidat haemorrhagia immodica, eâ finitâ, ſtatim alvus

alvus ducenda eſt, in quôvis aetatis gradu ſit morbus.

104. In febribus malignis caſtrenſibus, apparentibus petechiis, ſedulò cavendum eſt, ne oriatur ventris fluxus; imò clyſteres leniſſimi tunc meritò ſuſpicandi ſunt.

105. Petechiae, quae in hujuſmodi febrium initio appareant, imminentis periculi dant indicia: iis autem quae circa morbi gradum conſiſtentem erumpant, melior ſors eſt ſperanda, et illicò ſudores lenes elicere utiliſſimum erit.

106. In morbis hydropicis, ſi primae viae ſint obſeratae aut farctae, urinae profluvium potiùs et certiùs efficietur lenibus catharticis quàm diureticis.

107. Tria ſymptomata, multum mali in morbis hydropicis praeſagientia, et quae nihilominus ad familiarium numerum recenſere oportet, ſunt, ſpirandi difficultas,

difficultas, urinae inopia, et ſitis moleſta.

108. Solis catharticis hydrops non eſt ſanandus, medicamenta enim roborantia ad novam aquae generationem praecavendam, tanquam adverſae valetudinis auxilia omninò neceſſaria, adhibenda ſunt.

109. Si aqua in uno thoracis latere ſolùm contineatur, in alterum decumbentes meliùs ſe habent aegroti; ſin autem in ambobus, in terga meliùs ſe reponunt.

110. Hyſtericae et hypochondriacae affectiones haud rarò largas exinanitiones, cum aegrotantium beneficio, ſinunt.

111. Affectio hyſterica nonnunquam vomitûs continui, aut ventris fuſi mala, ad ipſiſſimam ſimilitudinem ſibi ipſi inducit; in ambobus verò notatu dignum eſt,

eſt, quòd quae foras corpore ejiciantur, viridi colore contacta et imbuta ſunt.

112. Dolor dorſi, urina limpida, virium vitalium defectio, animus quaſi moerore fractus, veluti ſigna pathognomonica dicta in affectionibus hyſtericis et hypochondriacis habenda ſunt.

113. In febribus malignis, lingua ſordibus obtecta, manus tremulae, ſemper malum denotant.

114. Si in initio febris adſit diarrhoea, tanquàm calamitatis ſocia atque comes, tutiùs eſt exquiſitis alexipharmacis dictis eam curare, quàm exhibere aſtringentia, aut alvum moventia ad eam ſiſtendam; mali enim moris non rarò eſt, et ſi non ſiſtenda, ſaltèm coercenda eſt.

115. In febre ſimplici continente, ſub primâ remiſſione corticem Peruvianam adminiſtrare conſuevi, et magno cum ſucceſſu.

116. In

116. In quôcunque febris gradu accidat ſudor univerſalis, à naturâ ſolâ inceptus, nunquam eſt ſiſtendus, ſed promovendus, modò aliquid emolumenti aegrotanti exindè advenire appareat.

117. Nulla inquiſitio, nulla ratio utut conſiderata, vel de febris acceſſione, ſtatu conſiſtente, aut deceſſione, ſtabiliendis regulis ſufficere poſſunt, quibus ſolis, de exinanitionibus inſtituendis vel promovendis rectè judicium proferre poſſit medicus: hae autem multò magis certiores faciendae, et praeſertim aeſtimandae ſunt, ex iis, quae foràs corpore ſeſe expelli palàm faciunt, ſeu per cutis meatus, ſeu per quoſcunque alios exitus.

118. Maculae purpureae in febribus caſtrenſibus rarò manifeſtè apparent ſine teſte haemorrhagiâ aliquâ; in hiſce autem aegris arteriarum pulſus celer et debilis eſt.

119. Morbus arquatus febri ſuperveniens ſemper aliquid periculi alit, et ſaepiſſimè morbi acerbitatem haud contemnendam oſtendit.

120. Ad ulcera ritè dirigenda requiritur, primò, calor naturae modum paulò tranſiens, tum in parte ipſâ, tum corporis totius habitu; ſecundò, corpus fat compactum et firmum, et idoneis nervorum viribus pollens; tertiò, humorum, quae influant, copia apta; quartò, hujuſmodi humorum indoles blanda; neque acrimoniâ cujuſcunque generis, neque inerti lentore praedita.

121. Experientiâ didici, quòd remedia ferruginea junioribus, multò magis quàm ſenibus, conveniunt.

122. In corporis conſtitutionibus foemineis admodùm tenellis, meliùs eſt, medicamenta ferruginea ſub lecti ingreſſum adminiſtrare, quàm tempore matutino.

123. Frequens

123. Frequens uſus argenti vivi, in quibuſdam morbis, nervorum reſolutionem inducere ſaepè notavi.

124. Quandò ſanguinis ſputum, quod ex interioribus faucium, ſeu potiùs aſperae arteriae, partibus proceſſerat, jam ſiſti videatur, ſi ſuſpicioni detur locus, quoſdam ſanguinis grumos apud pulmones reſtitiſſe, et quaſi hoſpitio ſuo acceptos fuiſſe, medicamenta aſtringendi viribus pollentia nequaquàm exhibenda ſunt.

125. Quibus in phthiſicis morbis arteriarum pulſus in manu ſiniſtrâ debilior quàm in dextrâ eſt, ulcere aut tuberculo pulmo laborat.

126. Quamvis conſanuiſſe pleuritis videatur, ſi maneat interim tuſſicula, quae circa veſperam blando calore totius corporis comitatur, aut pleuritidem recrudeſcere, aut ſuppurationem adeſſe, ex prognoſticis praedicere fas erit.

127. Nervorum diſtentiones in infantibus plerumque à ſtomacho oriuntur.

128. Ulcera ab acrimoniâ humorum, ad acidam indolem vergente, pallida ſunt, et lentè decurrunt; ab alcalinâ verò, nigra, velocia, et foetida ſunt.

129. Quamvis acido laborantibus palleat urina, et tandem tardè putreſcat, omnis tamen urina pallida non ab acidâ acrimoniâ ortum ſuum ſumit. Quae res in affectionibus hyſtericis, hypochondriacis, et praeſertim morbo, cui nomen diabetes tribuitur, omnibus ferè ad viſendum patet; ea igitur ſigna, quae delectum ac diſcrimen faciunt, attentè ſpectare operae pretium erit.

130. Triplex datur corpore humano glutinoſum; primò, naturale, quod partes omnes oblinit; ſecundò, id acre, quod morbos inflammatione aut febre ſociatos plerumque comitatur; tertiò iſtud

iſtud glutinoſum iners, cujus ſigna in libri de cognoſcendis et curandis morbis aphoriſmo ſeptuageſimo primo, tradidit eruditiſſimus Boerhaave; quibus autem hanc cautionem adjungere omninò neceſſarium eſt, ab auctore, neſcio quâ ratione omiſſam; ſcilicet, omnia ſigna ibi recenſita ſine febre adeſſe debent, aliter in fallaciam periculi plenam incidet medicus credulus.

131. Obſtructiones, quae ab inerti glutinoſo, ſeu pituitâ, in corpore humano ortum ſumunt, imprimis in pulmone à difficultate ſpirandi, praeſertim poſt paſtum, ſeſe ſentiri faciunt. Urina ejuſmodi aegrotis eſt inſtar ſeri lactis, perindè ac in infantibus et pueris, non rubet, vix olet. Hi aegri arteriarum pulſum plerumque debilem habent, et reſpirationem vel debilem vel anhelam, aliaque omnia pallida et frigida; niſi ſimul adſit acre; tunc enim aderunt calor et pulſus frequens, debilis, qui aliter tardus eſſet. Sanguis in prioribus pallet, et

ſero abundat. Saliva eſt plerumque inſipida, copioſa, nunc tenax, nunc ex ore ſponte effluens. Habent enim hi aegri plerumque expletionis ſenſum ſine cibo devorato, et plerumque ſine ſiti; ſin verò nauſeâ, vomituve comitetur, id certum ſignum eſt largam pituitae copiam ſimul ventriculo latere.

132. Qui putredine laboret ſemper flaveſcit cute exteriore, eâ ratione, quâ olea ambuſta retenta circulos ſuos, mediante ſanguinis curſu, conficiant.

133. Si adſit ſitis ſine cibi appetentiâ, plerumque et nauſeâ comite, putredinem aliquo viſcere latentem certò denunciat.

134. Iis, qui morbis chronicis dictis diu vexati fuere, ſi ſtomachus quaſi proſtratus videatur, ſimul et aegri acida appetant, periculoſa humorum putredo indicatur.

135. Habitus

135. Habitus corporis putredinis ſignis comitatus, tam in chronicis, quàm acutis morbis, eſt aceſcentibus, et acidis plerumque curandus: ex hâc cauſâ enim in utriſque oriuntur cibi faſtidium, vomitus putridus, bilioſus, alvi profluvium, et ſimilia.

136. Urina concuſſa, bullas diu retinens, aegris omnibus, putredine laborantibus, malum teſtificatur.

137. Sordes oris, aegris ex alcalinâ putredine laborantibus, ejuſdem ſunt generis, ac in acutis morbis; et quò magis fuſcae, nigrae, eò pejores; quò verò magis albae et tenues, eò meliores. His etiam adſunt foetor oris cadaver olens, et ſapor putridus, urina rubra citò putreſcens, nunc vix dimittens ſuas faeces, nunc ſedimentum rubrum, craſſum, et copioſum deponens.

138. Puſtulae omnes, quae à medicis exanthemata nominantur, pro naturâ tumoris,

tumoris, variove earum colore, ad phlegmonum genera vel ad eryſipelatis indolem pertinent. Hujuſmodi exanthemata omnia periculi tamen ſunt expertia, niſi adſint inflammatio exquiſita, ſpirandi anguſtia, aut delirium; purpureis ſolummodò exceptis, quae gangraenam in morbis acutis denunciant, et quae, quò frequentiora aut citiùs appareant, eò in pejus ruere morbum proculdubiò conſtat.

139. Puſtulae rubellae, ſanioſae, fuſcae, plumbeae, nigrae, quae in corporis habitu putrido ad ſummum provecto, ſe manifeſtent, citò gangraenoſae fiunt, et bubonum, anthracum, macularum purpurearum ferè certa praebent indicia praenuncia.

140. Sanguis motu minori, quàm fas ſit, agitatus, ſero nimiùm redundat, et morbos chronicos, praecipuè hydropem aut leucophlegmatiam infert; è contrà, ſi majori vi actus ſit, inflammationes, pleuritides, &c. indè ortum ducunt.

141. Flavus

141. Flavus oculorum color in morbis acutis ferum craſſum in canaliculos minimos protrudi oſtendit; ruber autem color ſanguinem de viâ rectâ deceſſiſſe, et eo tempore per canales ſeroſi laticis curſui potiſſimùm dicatos iter ſuum proſequi, indicium eſt: prior ſtatus putredinem, poſterior ſanguinem nimiâ vi impulſum denunciat.

142. Quos acutis morbis interemptos perſcrutatus ſum, eorum arterias plerumque ſanguine plenas inveni; contrà verò in chronicis accidiſſe novi: in aegrotis igitur primi generis, venae, humoribus ruberrimis turgidae, felicis exitûs ſpem aliquam medico faciant.

143. Medicamenta, quae ex argento vivo confecta ſunt, omnium reſolventium evadunt fortiſſima: huic autem propoſito ut ſatisfaciant, in corporis humani canalibus primi aut ſaltem ſecundi generis haerere debet quid obſtruet; ſin

verò non in his, ſed in glandularum folliculis aliiſque lacunis vel cellulis medulloſis haereat malum, rarò horum medicamentorum ope ad ſanitatem redibunt hujuſmodi aegri. Cùm autem morbus in iſtis ſit locis, argentum vivum per ſe aſſumptum longè caeteris omnibus modis, quibus de eo condendo aut componendo ſe ſategerunt medici, anteceſſiſſe comperi.

144. Dum in corpore humano generetur pus, febriculam ſemper adeſſe convenit, eâ tantùm ratione, quâ id parare aequum erit, aliter non fiet pus laudabile. Intereà cavendum eſt, ne febris evadat nimis magna, tunc enim loco puris fiet ſanies.

145. Errâſſe chirurgos ſaepè notavi, dum multum laboris in eâ re poſuerunt, ut mucus de imo vulnere haerens abſtergere queant; eo enim modo carnis regeneratio impeditur.

146. Si

146. Si in vulnerato adſint ſudor frigidus, circulus pallidus circa os, labia pallida, et oculorum tunica adnata caeruleſcens, cum arteriarum pulſu parvo, partem aliquam maghi momenti vulneratam eſſe iudicandum eſt, etiamſi parum ſanguinis per vulnus effluat.

147. Vulneris ſanationem rectè progredi cognoſcitur, ſi color labiorum vulneris ſubcaeruleus ſit, inſtar margaritae; ſi labia non nimis alta neque depreſſa, nec calloſa aut ſerrata; ſi color vulneris ſubrubicundus albeſcens. Si verò adſit ſanies, et intumeſcant, pruriant, caleantve vulneris labia, tum febris mali moris adeſt, neque quibuſcunque remediis admotis, dum febris ita ſe habeat, ſanandum eſt vulnus.

148. Nullus datur ſeverior index ad verum corporis habitum detegendum, quàm membranarum oculi aſpectus. Ex his autem quo loco res ſit, tunica adnata

dicta praecipuè denunciat; quippe in ictero flaveſcit, in hydrope palleſcit, in inflammatione internâ rubeſcit, in gangraenâ liveſcit.

149. Tumor flaccidus ſub oculo, praeſertim ſi vultûs pallor adſit, infirmum corporis habitum, et leucophlegmatiam in propinquo eſſe denunciat.

150. Lata oculi pupilla, nullis guttae ſerenae dictae ſignis ſe ſimul palàm facientibus, nimis flaccidum corporis habitum indicat.

151. Siſtitur feliciſſimè narium haemorrhagia violenta, ſi turunda vitriolo albo ficco imbuta per canalem ſatis profundè immittatur, ſcilicet, donec ſupremum naſi uſque ad os ethmoidis attigerit.

152. Vulnera capitis aliis magis ſunt periculoſiora, etiamſi ejus integumenta ſola laeſa ſint, tum ob muſculos ſub-

cutaneos,

cutaneos, horumque aponeuroſes, tum quia laeſo pericranio, haec membrana habet arterias, venas, et nervos cum cranio inter ſe communes, nec non et hoc etiam cum meningibus ſociatum eſt, et hae denique ſunt cerebri affines intimi.

153. Symptomata in vulneribus capitis mala ſunt, ſi adſint vomitus, vertigo, tinnitus aurium, ſenſus interni, ſeu viſus, tactus, auditus, laeſi, nervorum diſtentiones.

154. Ubi pars aliqua non levis momenti in corpore humano colliſa fuerit, plerumque mittendus eſt ſanguis largâ copiâ, et alvus ducenda eſt medicamentis ſatis efficacibus et calorem minuentibus; quae ambo pro re natâ repeti debent.

155. Ab introitu ſeri ſanguinis in canaliculos nimis anguſtos, ſeu ab impedito humoris curſu, qui lymphae nomine

mine ſignatur, ex utrâlibet parte fiet tumor, cui veteres medici oedematis nomen impoſuerunt. Hujus autem duo ſunt genera, ſcilicet, frigidum, et eryſipelatodes: prior eſt tumor mollis, frigidus, aquoſus, digito cedens, et imaginem cujuſvis rei impreſſam tenens, et differt à poſteriori ut varix ab aneuriſmate. Altera, ſeu poſterior ſpecies, eſt equidem tumor mollis, at valdè calens, ſubalbus, ſubflaveſcens, ſat magnus, et generis inflammatorii: aegroti tali tumore laborantes ſe infinitis aciculis pungi credunt.

156. Tumores, qui à medicis nominantur atheroma, meliceris, ſteatoma, polypoſae concretiones, haud unquàm in cancros vergunt.

157. Quò aliqua pars corporis humani inflammatione laborans canalibus ſanguineis majoribus conſtat, eò magis tumor et rubor adſunt; ſin autem locum habeat, ubi minoribus comitatur morbus, rubor et tumor etiam minores ſunt,

at exindè non ſemper minus adeſt periculi; quoniam in priori caſu, plùs valet ſanguinis miſſio, aliaque reſolventia; et vice verſâ: v. g. in peſte et morbillis non fit inflammatio in majoribus arteriis, ſed adeſt putredo in minoribus, et proindè periculoſa, quippe hiſce citò venit, aut ſerpit miſeranda lues.

158. Hydropicis aegris non rarò accidit inflammatio, non quia membranae aſtrictae nimis evadant, ſed quia nimis reſolutae ſint; ex quo fit, ut canaliculi, qui ſerum ſolùm accipere debent, ſanguinem rubrum admittunt. Sanguis enim ex venis emiſſus majus occupat ſpatium, quàm dum in arteriis manet, quia deeſt vis, quâ comprimi poſſit, hâc itaque diminutâ extenuatur, et facilè in partes nimis laxas irruit. Ideò maculae purpureae in morbis chronicis pro ſigno peſſimo habendae ſunt, utpote hae ab inflammatione et laxitate ſimul conjunctis oriuntur.

159. Si

159. Si aegrotis hydropicis in fine morbi accidat diarrhoea, humorum corruptionem colliquefactam indicat, de quâ brevi moriuntur.

160. Ad ſuppurationem ritè promovendam febris modicè temperata eſt omninò neceſſaria, aliter nunquàm fiet pus. Ipſi phthiſici pus non exſpuunt, niſi die praecedenti adfuerit febricula.

161. Si quandò tumores in febribus, bubonum ſpeciem prae ſe ferentes, appareant, ut in lue venereâ aſſolet, ſemper adhibenda ſunt emollientia et maturantia medicamenta et remedia, no reſorbeatur materies; eductâ enim hâc, perfecta ſanatio obtineri poteſt; aliter internè fit puris collectio, maximè apud hepar aut pulmonem.

162. In partibus glandulosis inflammatione correptis, ſemper ferè eas maturantium applicatione diſrumpi in ſpe habere

habere licet; quae res meliùs cedit, quàm eas aperire per ſcalpellum.

163. Ubi pars aliqua corporis humani ex curſu humorum impedito inflammatione laboret, non ſufficit ad eam ſolvendam liquores fluidos reddere, ſed acrimoniam lenire, eoſque blandâ indole induere, convenit; nam in gangraenâ et ſphacelo ſatis tenuis eſt humor, mali cauſa, at acerrima adeſt.

164. In ulceribus ſtrumoſis, quibus, loco puris, adeſt liquor lentus, glutinoſus, valdè proſunt medicamenta ferruginea cum decocto guaiaci in aq. calcis ppto, modò non hecticus adſit corporis habitus.

165. Ubi lateat ſinus, vel fiſtula, plerumque aderit levis inflammatio in ipſâ cute externâ, niſi admodùm profundè lateat.

166. Cùm ſtrumae et ſcirri oriantur ſub maxillis, plerumque glandulas me-

ſenterii, hepatis, et pancreatis, temporis progreſſu, ſimilitèr affectas fuiſſe, expertus novi.

167. In vulneratis, qui ob oſſa fracta, aliaſve ob cauſas diu decumbere coacti ſint, praeſertim et ſummâ curâ cavendum eſt, ut occiput, ſcapulae, os coccygis, trochanter, et talus à compreſſionis injuriis muniantur.

168. Si in febre acutâ aeger perpetuò vomat, ita ut neque ſanguinis miſſionibus, neque clyſteribus anodynis cedat vomitus, abſintque etiam ſigna ventriculi inflammationem denotantia, inteſtina inter ſe implicari pro comperto habere liceat.

169. Si aeger febricitans, verba quae dixit, ſtatim poſteà obliviſcatur, imminet delirium.

170. Lac, quod ad victum phthiſicorum exhibetur, magis diluendum eſt, prout

prout increſcat morbus, ita ut chylus tenuior fiat, et faciliùs per pulmonem tranſeat.

171. Ad calorem hecticum mitigandum nil meliùs inveni, ſub morbi initio, quàm pediluvia tepida admovere ex aquâ et lacte.

172. In omnibus morbis febriculâ, quam hecticam appellârunt medici, comitatis, meritò ſemper quaerendum eſt, annon lateat vomica putrida.

173. In ſcorbuticis morbis curandis ſemper in os, ad linguam et gingivas inſpicere debet medicus; hinc enim acrimoniae ſpecies prae caeteris patet, an acida an alcalina ſit, &c. In priore temperie pallidae ſunt, et parùm foetet halitus; in alcalinâ verò fuſcae, et amurcâ ſqualidâ obſitae; in indole muriaticâ plerumque rubent, in ambobus hiſce plurimùm foetet halitus. Rarò autem ſcorbutus apud Anglos ab acrimo-

niâ acidâ, ſemper ferè ab alcalinâ, vel muriaticâ, oriri invenietur.

174. Crurum tumor ſcorbuticus it et redit ſpontè, tam nocte quàm die; tumor autem hydropicus ferè ſemper manè vel evaneſcit, vel plurimùm diminuitur, at veſperi ſemper increſcit.

175. Aeger aetate adultus diarrhoeâ laborans, plerumque putredinis poenas luit; hanc autem medicamentis et remediis acidis ſanare oportet.

176. Malignitas febris cujuſcunque dependet vel à naturâ ſtimuli, vel à functionibus laeſis, ad quae ſedulò debet advertere medicus.

177. Si in febre, poſt magnam corporis jactationem, extenſis membris jaceant aegroti, caputque hinc indè tantùm moveant, mors in propinquo eſt.

178. Nimis

178. Nimis diu vigilantibus coma ſupervenire ſolet, et confeſtim inſtat apoplexia.

179. Quò citiùs in febre mens à ſtatu naturali multùm aberret, eò citiùs adveniet delirium: v. g. ferox reſponſum ab homine leni mitique indole praedito, hunc mali comitem praeſtò adeſſe praeſagit.

180. Cadaveribus phthiſicorum diſſectis, pulmonem (niſi ex magnâ haemorrhagiâ, pectore externis injuriis laeſo, orta fuiſſet tabes) tuberculis innumeris ut plurimùm obſitum inveni, quorum pars magna pure plus aut minus ſcatuit; pars altera materiè durâ, albeſcente, granoſâ, inſtar pulveris ex oculorum cancri praeparatione, repleta fuit.

181. Cum à colore vel motu nimio ſolvatur humor atrabilarius, et per coeliaca ad hepar deferatur, ſaepè hypochondriacis accidit icterus cum inflammatione.

182. In vomitoriis exhibendis, ubi icterus ſe coram medico ſiſtat, ſumma requiritur cautio, ut libera et ſatis fluida in hepatis regione ſint omnia, aliter non rarò à ruptis quibuſdam canaliculis malè cedunt.

183. In febribus continuis putridis, aphthae ſaepè ſe palàm faciunt, et in ipſo ventriculo plerumque incipiunt, et ſenſim ſurſùm aſcendunt; donec totas ferè fauces uſque ad labia obtegunt, undè pereunt tum guſtus et appetitus, tum obſtructis lacteorum viis perit omninò nutritus, cibis unà cum putridis humoribus ab ulceribus hiſce effluentibus per anum ejectis, et proindè peſſimum detur omen: ſi verò in labiis primò appareant, plerumque boni ſunt moris.

184. Urina in nephritide acutâ, pro ratione mali increſcentis, ex rubrâ aut flammeâ evadit aquoſa.

185. In

185. In vulneribus abdominis, tuſſis aut ſternutatio mala eſt, eò quòd herniam inducere ſoleat. Praecavetur prior ſanguinis miſſione, et anodynis; poſterior verò ore et naribus clauſis.

186. Ubi tumor glanduloſus, durus, ſcaber, et indoleſcens, ibi ſcirrus adeſt; ſin autem hujuſmodi tumor ſub ventriculo lateat, alvuſque ſit dura et maximè aſtricta, pancreas afficitur ſcirro.

187. Scirrus diu tolerari poteſt, ſi non in acri, putrido, aut melancholico corporis habitu locum habeat; his enim aegris rariſſimè ulla requies mali conceſſa eſt, ſed curſim ad cancrum pergit, praeſertim ſi adſit temperies ad inflammationem propenſa.

188. Color cinereus, plumbeus, liveſcens, dolores laucinantes, ſcirrum duritie praeditum, non dubio gradu, properare in cancrum oſtendunt, praecedente ut plurimùm ſummo pruritu.

189. Scirrus

189. Scirrus et cancer in inteſtinis ſunt ambo mala inſanabilia: ſcirrus innoteſcit partim certo dolore, citiùs vel ſeriùs poſt paſtum aegrum vexante, prout ſuperiùs vel inferiùs ſitus ſit; partimque ſenſatione aegri ſe ultrò citròque circumvertentis, in quantum ſcirri molem inſtar ponderis decidentis ſentire videatur. Sanationem autem non admittit, niſi arte exciſoriâ, chirurgi experti manu factâ, votis potiri liceat. Diu autem ferri poteſt ſcirrus, niſi exaſperetur ab acri victu vel humorum verſus eum fluxione: quò verò à pyloro remotior eſt, eò facilius et longiùs fertur. Conſiſtit itaque curatio in ſolo aſſumptu nutrimenti blandiſſimi, ſtercoris quàm minimum efficientis, ut ſunt juſcula molliſſima; et, ſi malâ ſorte fiat in eo irritatio aut commotio aliqua, miſſio ſanguinis inſtituenda eſt, clyſteres emollientes injiciendi, dato ſimul contra dolores opio, eâ ratione, quâ neceſſe ſit.

190. Cancer

190. Cancer prorſus inſanabilis eſt, nec ullâ arte allevandus, niſi juſculis aut cibis ex ſummè lenientibus paratis et confectis, clyſteribus idoneis et anodynis; ſedulò intereà evitando omne acre, cujuſcunque ſit generis. His indiciis cognoſci poteſt tale malum; ſcilicet, imprimis, ſcirri praegreſſi certâ fide, qui deinceps ſe exaſperari palàm facit: his enim ſignis ita ſe habentibus, ut plurimùm illicò ſubſequitur materiae acerrimae, rodentis, fuſcae, ſanguinolentae vel ſanioſae fluxio per anum, quae torminibus horrendis ſociata manet, donec mors ultimam malorum lineam ducit.

191. Acida humorum temperies non rarò ab acidis vegetabilibus aut aceſcentibus devoratis ortum ducit; eòque maximè, ſi ſimul adfuerint inopia boni ſanguinis, laxus nimis corporis habitus, et vita ignava et otioſa; hinc puellas pigras et pauperes prae caeteris afficit.

Cognoſcitur adeſſe pallore vultûs quaſi viridiſcente, linguae, faucium, et angulorum oculi et gingivarum pallore, morſu ſeu dolore ventriculi, ructu acido, materiae viridis acidùm ſpirantis per ſuperiora aut inferiora ſeceſſu, appetitu ad terreſtria, ut cretam, &c. dentium ſtridore, tanquam ab aſſumptis auſteris, eroſione lentâ et ſcabie cum pallore conjunctâ, urinâ vel tenui et aquoſâ, vel cum ſedimento albo, craſſo, et copioſo, cute laxâ, pallidâ, frigidâ, ſiti non magnâ. Curanda eſt haec acidi temperies cibis, medicamentis antacidis, maximè autem ferrugineis. Hujuſmodi aegri equo continenter provehi in aere puro et ſereno debent. Praeter hanc autem acidi ſpeciem, quam lentam appello, datur et alia podagrâ laborantibus familiaris, quae ab acidis fermentatis, vel liquoribus vinoſis in ventriculo aceſcentibus oriri ſolet; qualia ſunt vina omnia acri acido pollentia, ut Rhenanum, Moguntinum, Florentinum, &c. Senes podagricos et calculo laborantes prae caeteris

ris afficit hoc mali genus, quod tam hujuſmodi dolores, tam et vomitum, ructum acidum, ventriculi dolorem, nauſeam, inteſtinorum tormina, &c. his plerumque adferre ſolet. Rarò perfectè ſanari poteſt talis temperies; allevatur tamen aſſumptu ciborum ac medicamentorum alcalinâ indole praeditorum, interpoſito aliquandò vomitorio aut cathartico, prout ſtomachi nauſea, aut inteſtinorum tormina, tale medicamentum exhibendum eſſe indicent.

192. Glutinoſa humorum temperies in corpore humano aliquandò ſimplex eſt, aliquandò cum acrimoniâ quâdam conjungitur; nonnunquàm vi febris et attritui humorum et canalium in ſe mutuò debetur, ut in pleuritide, rheumatiſmo, aliiſque morbis inflammatione ſociatis contingit; nonnunquàm denique ei ſanguinis conditioni, quae atrabilariis, ſive melancholicis familiaris eſt; in quâ, abſumptis humoribus blandis et aquoſis, manet reliquum atrum, craſſum, acre et terreſtre, ab unione ſci-

licet partium ſalinarum, oleoſarum et terreſtrium ſibi mutuò nimis cohaerentium. Primae ſpeciei indicia ſunt habitus corporis pallidus, anhelus, obeſus, arteriarum pulſus tardus, ſitis abſentia, ſenſus repletionis ex minimo devorato, appetentia ciborum deperdita, vomitus glutinoſae materiae, urina pallida vix olens, ſaliva lenta, inſulſa, nunc copioſa et ſpontè ore effluens, perindè ac in obeſis et ſtolidis quibuſdam, nunc craſſa et tenax, pigritia, ſopor et mentis torpor, tumores albi, parùm vel non dolentes, ſpontè nati, maximè ad juncturas et glandulas, ut et crurum tumor hydropicus et pituitoſus, veſperi increſcens, manè verò ſpontè evaneſcens.

193. Glutinoſae hujus temperiei ſpecies ſecunda eſt ſimplici longè frequentior, et nunquàm ſine acrimoniâ quâdam invenitur; vel enim acidâ conjungitur, vel humoribus putreſcentibus, qui, dum in locis variis ſtagnent, acrimoniam variam, pro ſtagnantium liquorum naturâ diverſâ, gignunt: ut in aegris ſtrumoſis, rachiticis,

rachiticis, ictericis, hydropicis, aliisque quamplurimis videre est. Lentam et acrem hanc humorum temperiem designant obvii glandularum tumores, parùm vel non dolentes, arteriarum pulsus à naturali non multùm aberrans, urina crassa citò putrescens, sitis, artuum lassitudo, dolores tam fixi quàm vagi, sine signis inflammationis. Omnium autem humorum genera in corpore humano, postquàm putrida evadunt, ad alcalinorum aut saltem acrium calidorum ordinem referri possunt, et debent.

194. Tertia glutinosa humorum species, quae morbis inflammatione comitatis ortum suum debet, cognoscitur adesse arteriarum pulsu duro, calore magno, dolore acri, siti, febre acutâ, cutis siccitate sociata, maximè autem conspectu pelliculae albae post missionem sanguinis. Hujus curatio postulat exinanitionem sanguinis, et eam plerumque repetendam, et pro gradu mali moderandam, medicamenta diluentia largâ co-

piâ devorata, nitroſa, ſubacida, et id genus alia, pro vario gradu dominantis morbi. Notatu autem dignum eſt, quòd non in acutis ſolis, ſed in chronicis quibuſdam, praecipuè dolore comitatis, inveniatur haec glutinoſa ſpecies.

195. Quarta ſpecies glutinoſa hypochondriacos et melancholicos prae caeteris omnibus occupat; in hâc autem, licèt ex praedictis humoris temperies eſt cognitu facilis, attamen adeò vitiatus plerumque fit corporis habitus, ut ejùs ſanatio integra eſt valdè difficilis. Quò autem meliùs intelligantur ea, quae ad temperiei uniuſcujuſque ex praedictis aptam medendae rationem, ſuiſque gradibus accommodatam, pertinere queant, conſulendi ſunt imprimis Hermanni Boerhaave aphoriſmi, nunquàm ſatis in honore habendi.

196. Si praeter conſuetudinem à cauſâ quâcunque accidet, corporis humani habitum ſe extenuare et expandere, aut redundare,

redundare, alitèr quàm decet, fient in canaliculis minùs perviis obſtructio, dolor, tumor, &c.

197. In omnibus mulierum doloribus, videndum eſt, an, ſecundum naturae leges, menſtrua benè reſpondentia habeant; his enim aut retentis aut ſuppreſſis, etiamſi ad dolorem ſedandum et mitificandum valeant medicamenta, quae virtute plurimùm polleant, aut maximè in honore ſint, nunquàm perfectè revaleſcet talis aegra, priuſquàm hâc ratione naturalitèr ſe habeat.

198. In doloribus flatuum abundantiâ comitatis, ſi ingentes ſint, etiamſi abſit febris, mitti poteſt et debet ſanguis, alitèr ab ipſo dolore non rarò fit morbus acutus. Si verò mitior ſit dolor, alvi purgatio plerumque ſanat, dato poſteà anodyno, lenitèr ſudorem eliciente.

199. In ſanguinis miſſione celebrandâ, curandum eſt, ut ex lato vulnere liberè effluat

effluat ſanguis, alitèr de tenaci cruſtâ albâ, inflammationis verae ſociâ atque comite, vix judicare licet; eò quòd colorem ferè rutilum induet. Sin autem, dolore per dies aliquot manente, miſſoque, more praedicto, ſanguine, non appareat hoece cruſtoſum ſignum, acrimoniâ potiùs quàm inflammatione ſanguinem pollere manifeſtum eſt.

200. In exinanitionibus ad dolorem quemcunque alleviandum inſtituendis, ſemper eligendae ſunt illae, quae vel à parte affectâ maximè revellant, qualis eſt miſſio ſanguinis ex ſaphaenâ in capitis dolore, vel quae partem ipſam prae caeteris exinanire valeant; ut inciſio venae jugularis in eôdem morbo, applicatio hirudinum in haemorrhoidibus, cucurbitularum cum ſcarificationibus in iſchiade, aliiſque ſimilibus.

201. Dolores ferè omnes, tam diuturni quàm acuti, à ſubitis tempeſtatum mutationibus, praeſertim ad ſolis et lunae

lunae concurſus, et ferè ſemper ſub nöctem, exacerbantur; quae res imperitos vanâ dulcedine fallit, cùm hujuſmodi acceſſiones intermittentium paroxyſmis acceptae feruntur.

202. Urina ad eam à jumento profluentem verè referenda eſt, quae ſimul ac emiſſa ſit, lacteſcit, turbida manet, et nunquàm ſedimentum deponit.

203. Urina per tötum morbi decurſum, turbidum et craſſum exhibens temperamentum, humoris abundantiam denunciat; quae ſi ſine levamine fiat, malam dat praeſagitionem.

204. Sordes linguae putridam ſanguinis craſin haud malè oſtendunt, et quò denſiores, pluſque ad nigrum colorem vergant, eò pejores; talibus enim ſordibus obſita ſunt ventriculi, oeſophagi, &c. interiora. Animadvertendum autem eſt, quatenùs aeger ore aperto dormiat; quippe ex hâc cauſâ forſan

oriatur haec mali ſpecies, et indè ſimilitudine captus medicus in temerario errore, et maximâ rei ipſius ignoratione, verſabitur.

205. Urina craſſa in febre ſubitò in tenuem mutata, crebrâ ſimul meiendi cupiditate aegro laborante, lotium tamen aptâ ſatis copiâ emittere fruſtrà enitente, cerebrum malè affectum denunciat.

206. Retractatio manûs in febre, neſciente aegro, certum ſignum eſt, mortem in propinquo eſſe; morbo enim afficitur ipſum cerebrum.

207. Si immineat delirii periculum, immittantur imprimis clyſteres diluentes et laxantes; dein erecto quantùm poteſt corpore ponatur aeger; foveantur pedes genuum tenus aquâ calidâ; et plantis applicentur cataplaſmata, ex fermento panis acidi cum oxymelle confecta, ut tandem deſquametur cuticula exterior, et tumeant pedes. Applicentur ſimul hae-

morrhoidibus hirudines, ut multum ſanguinis fundere poſſint.

208. Quandò in febre continuâ oculi fiant triſtes, luctuoſi, pulverulenti, cum ſcabrâ ſorditie, ſemiaperti, et ſpontè inter dormiendum lacrymas demittant, lethale ut plurimùm praebent ſignum. In his notatu dignum eſt, lacrymas per ora ſtillare, non verſus canthos pelli.

209. Hypochondria nimis ſtricta et tenſa in febribus inflammationem ibi futuram docent.

210. Nemo laborat podagrâ, quin priùs laeſa fuerit ea humorum exinanitio, quae per cutis meatus factam fuiſſe oportuit.

211. Si podagrâ laborantes urgeat immanis vomitus, aut ſtomachi dolor intolerabilis, tunc vomitum valdè ciere et multùm promovere non rarò ſolent medicamenta cathartica. Haurire au-

tem imprimis debent tales aegri juſculum pulli, vel infuſum foliorum carduj benedicti, ut à materiâ in ventriculo hoſpitante liberentur, et dein, ad alvum liquandam, injiciendus eſt clyſter, ut deorſùm derivetur reliquum materiei. Si autem horum uſu miteſcat dolor ventriculi, et ceſſet vomitus, die inſequenti aegrum devorare oportet tincturae ſenae, tincturae ſacrae q. s. vel ſimilia; et, paucis horis elapſis, immittendus eſt clyſter, ſi non ſupervenerint catharſeos futurae ſigna.

212. Si ſenex podagricus de ventriculi dolore, cardialgico dicto, iterùm atque iterùm conqueratur, materies podagrica ſurſùm ad ventriculum derivari incipit, et poſt paucos paroxyſmos laborabit ipſe ventriculus. Hi aegri plerumque acidum eructant, vomituque rejiciunt. His omnibus proſunt teſtacea, cum paucis ſalis abſinthii et rhabarbari granis commiſta, et quotidiè devorata horâ decubitûs; quâ medendi ratione, ſi non leve-

tur aegrotus, manè etiam repetantur eadem. Allevatis autem hôc modo ſymptomatibus, alvum ope rhabarbari adeò liquidam ſervare convenit, ut quotidiè ad duas circiter vices fiat exinanitio.

213. Alvus liquida in initio febrium bona, in fine autem plerumque mala eſt.

214. In febribus ardentibus dictis, calor non ab extremis corporis membris, ſed praecordiis, hypochondriis, et ſpirandi aeſtu aeſtimandus eſt.

215. Quandò in febre inflammatione comitatâ, parcè et guttatim è naribus ſtillat ſanguis, indicium eſt eum ita in corpore curſum ſuum facere, ut arterias dilacerare poſſit, ſed tamen adeò inflammatam tenere indolem, ut rivuli more effluere nequit. Certè itaque hôc caſu valeat arteriarum inciſio, eò quòd in iis mala ſanguinis copia abundat, undè ſine tali ab arteriis exinanitione morientur aegri.

216. Sitis

216. Sitis in febribus ardentibus ſubitò ſublata cerebrum affectum denotat.

217. In febribus faciei rubor increſcens, ſudores capitis et faciei, nec non et parotides tumentes, inflammationem ſurſùm ſurgere docent.

218. Rigor, quo diebus criticis ſolvitur febris ardens, craſſum ſanguinem è venis in arterias pulſum eſſe docet.

219. In febribus inflammationis ſignis comitatis, ſi quae circa praecordia caleant, et extrema frigeant, ſtatim mittendus eſt ſanguis.

220. Oculi inflammatio, ophthalmia dicta, eſt morbus frequentiſſimus, imò et malâ fortunâ contingit, ſe caeterorum malorum primam ante omnes evadere cauſam; licèt enim ipſe morbus ſanetur, tamen adeò valere poſſit mali perſeverantia, ut ipſius oculi humores pro-

greſſu

greſſu temporis fiant craſſi, et cum membranis quibus cincti ſint non ſolùm minùs perlucidi, ſed prorſùs opaci reddantur.

221. In diuturnis oculorum fluxionibus, ubi non multum doloris adfuit, miſſo ſanguine, et dato medicamento cathartico, quo fiat valida alvi ductio, optimo ſucceſſu ſpiritum vini Gallici more epithematis applicavi. Tali enim caſu oculorum membranae, craſſis nimis humoribus farctae, adeò dilatatae et debilitatae evadunt, ut auxilium ex lenioribus et laxantibus admotis, non ſolùm fruſtrà eſſe, ſed indè triſtem morbum reddere deteriorem pro certo habeo. Si verò exhibitis his perſiſtet fluxio, applicentur pone aures cauſticum aliquod medicamentum, quo inuratur cutis utrinque. Ulcera hôc modo excitata diu aperta ſervanda ſunt, ſimul et oculo malè ſe habenti praedictum epithema imponere ſit negotium nequaquàm negligendum.

222. Ophthalmia

222. Ophthalmia est nonnunquàm morbus acutissimus, et ex iis quosdam novi qui missionem sanguinis aequè postulaverunt, ac si pleuritide saevissimâ laborâssent aegri.

223. Medici ferè omnes in ophthalmiâ collyriis utuntur, vel externè applicant frigida. Talia verò, teste meâ experientiâ, plerumque vel nihil, vel malum efficiunt, partim irritando, et humores majori copiâ ducendo, simul et condensando. Forsan in ipso initio aliquid repellendo prodesse queant; plus tamen damni quàm opis afferre solent, nisi reverà admodùm leve sit malum.

224. Quamplurimi scriptores medici vesicatoria nuchae applicata in ophthalmiâ laudant. Haec nonnunquàm aliquid boni efficiunt; saepiùs tamen irritatione nimiâ malum augere reperientur; prodesse quidèm possunt in diuturnis sensuum fluxionibus, si diu aperta serventur; ut

et in aegris laxis, cachecticis, pituitosis, et quibusdam hysstericis, qui alias exinanitiones malè ferunt; his tamen omnibus ulcera excitare, quae fonticulos vocant, multò magis ex usu fuisse novi. Alii balnea frigida laudant; caput tamen implere solent, et in ophthalmiâ inflammatione comitatâ valdè obsunt: convenire quidem haec possunt strumosis et scrophulosis dictis aegris, quibus habitus corporis laxus et flaccidus adsit, glandulaeque glutinosâ materiâ infarciantur. Reliquis autem aegris plùs prosunt balnea tepida, partibus inferioribus inguinum tenus admota.

225. In saevâ ophthalmiâ, etiamsi unus tantùm oculus afficiatur, convenit ambos obtenebrare; motus enim sani dolentem turbat.

226. In ophthalmiâ diuturnâ, si adsit luis venereae suspicio, aut in conspectum veniant aliquae glandulae, quae succis strumosis infarciantur, catharticis ex ar-

gento vivo confectis uti convenit. Hujusmodi ophthalmiae raro tanto dolore comitantur, quam quae inflammatione sociatae sunt. Cum autem malis his diuturnis non tantum peccet partis ipsius habitus, quinetiam humores, qui cursum suum faciunt, acriores fiant, proindè remediis morbi genio appropriatis corrigendi et curandi sint.

227. Paroxysmus in febre remittente vel intermittente, citiùs quàm solitus fuit superveniens, eam in acutam continuam abire praesagit. Ubi itaque ea res accidat, ita priùs calorem attemperantibus redigenda est febris, ut corticem Peruvianam tutò tum exhibere liceat, atque ut ejus imperium sine ullâ molestiâ perferre queat; quae in eo modo tractetur, pedibus properantibus ingravescet in horâ periculosa febris.

228. Valent in phrenitide prae caeteris copiosae sanguinis missiones, precipuè ex venis inferioribus, et dein ex jugularibus,

ribus, aut etiam incisio arteriae temporibus sitae, ut et alvi purgatio per ista cathartica, quae calorem valdè minuere queant: haec autem omnia audactèr celebranda et repetenda sunt, nequaquàm omissis remediis diluentibus.

229. Ferocitas aegri phrenitide laborantis eam plerumque à delirio distinguit, et membranas cerebri simul inflammatas esse denotat.

230. Distingui debet phrenitis in veram et symptomaticam. Vera semper dolorem fixum capitis ingentem, lancinantem praegressum habet; altera fit per nervorum consensum, nempè à diaphragmate inflammato, vel à materiâ febrili ad caput abundè delatâ: in primâ, respiratio est magna et rara, in alterâ verò, scilicet à diaphragmate laeso, parva et infrequens, nec non et à morbi initio hypochondriis sursùm attractis comitata.

231. Rubor oculorum et faciei, vultus torvus in phrenitide indè oriri videntur,

quòd ſanguis per internam carotidem nih aegrè circuitum facere nequit, undè majori copiâ per externos ramos carotidis permeare neceſſe eſt.

232. In omnibus morbis acutis, quamprimùm ſomni turbulenti invadant, quaſdam ex cerebri membranis inflammatione affici non temerè creditur; hos ſi paulò diuturniores evadant, inſequetur delirium, et mox phrenitis, et praecipuè ſi increſcant vigiliae.

233. Si aeger delirio laborans, et citiſſimè reſpirans, profundè et tardè ſpirandi manere ſungi videatur, imminentis phrenitidis eſt ſignum, quippè non ſentit moleſtiam reſpirationis, et difficilem per pulmonem ſanguinis curſum.

234. Singultus in phrenitide verâ dictâ, malum ad cerebelli medullam porrectum eſſe denotat.

235. Dentium ſtridor in phrenitide nervorum diſtentiones adeſſe denunciat, et ſemper ferè ſignum eſt lethale.

236. Extre-

236. Extremorum dolor non rarò solvit phrenitidem; prosunt igitur vesicatoria inferioribus artubus admota, nunquàm verò nisi praemissâ largâ sanguinis missione.

237. In longis summisque deliriis opium sub initio nunquàm prodest; dari tamen possunt satis tutò diacodiata acidis conjuncta.

238. Dignoscitur morbus comitialis ab apoplexiâ, comate, lethargo, paralysi, et ejus generis morbis per nervorum distentiones, quae sub aspectum veniunt. Cùm autem hae jam cessâsse videantur, jacent hujusmodi aegri ut apoplectici; nonnunquàm illae recrudescunt; iterumque redit morbus, apoplexiae prae se speciem ferens, aliquandò non: et sic deinceps, pro gradu paroxysmi *.

* Vid. Ricardi Mead Monit. et Praecep. lib. i. p. 191. ubi quod hujus morbi interest fusiùs tractatur.

239. Si

239. Si malum quoddam irritans ſit in causâ, quâ ſit artûs aut membri alicujus particularis diſtentio ſeu ſpaſmus, ſcilicet, ſi lateat humor acer circa pedes, tum locum exulcerare et apertum tenere, facilè poſſumus. Hâc aut ſimili medendi arte, medici Chineſes ſe omnem morbum comitialem ſanare poſſe credunt; inurendo, ſcilicet, cruſtam ad tendinem Achillis, et acum inducendo filo armatam infra eum, ut eo modo pars per aliquot menſes in ſuppuratione, relicto filo, detineatur. Id eſt, ſetaceum intra os tibiae et praedictum tendinem conſtituunt. Talis quidem inuſtio, haerente ſomite morbi in parte aliquâ ſingulari, optima eſt, modo ſedi morbi quàm proximè inſtituatur: prodeſſe etiam poteſt gradu quodam in morbo idiopathico dicto, quatenus humorum fluxionem ad inferiora derivari cogit.

240. Prae caeteris ob motum ſentiorem in canaliculis meſentericis et hepa-

ticis haeret malum, quod morbum hypochondriacum constituit. Ob has rationes valdè turbantur ventriculi officia, simul et bilis aliorumque omnium humorum secernendorum natura et temperies.

241. Tristes et atrabilarii plerumque scirros habent in pancreate, hepate, et mesenterio, eamque ob rem evenit, quòd melancholici anxietates sentiunt in hypochondriis.

242. Sputatores, qui salivam copiosam edunt, viscera in abdomine sita infarcta habent; tenuis quippe humor in cursu suo impeditus, ad glandulas superiores transit, et per eas excerni necesse est.

243. Tumores, qui linguae radicem occupent, et epiglottidem in glottidem compingunt, raninas venas secari postulant.

244. Si in devorando cibo aut victu, ut ut molli et tenui, vehementem dolorem

sentiant

ſentiant aegroti, palatum et muſculi hocce munus obeuntes inflammatione laborant.

245. Si muſculi oſſis hyoidis inflammentur, aegri incluſum in ore bolum benè ferunt; devorare tamen non poſſunt, ſaltèm non niſi ſummo cum dolore.

246. Si ſuperiora laryngis occupet morbus anginoſus dictus, vox fit acuta, ſtridula, et clangens, reſpiratio parva, dolens, frequens, erecta, arteriarum pulſus ſubitò vacillat, cum ſummis in ſpirando anguſtiis; quò verò propius glottidi et epiglottidi malum, eò pejus.

247. Si ſola pharynx laboret, reſpiratio erit ſatis libera, devorationis munus dolens, vel impoſſibile; materia quae devorari debet per nares redibit, vel in aſperam arteriam truſa, tuſſem violentam excitabit.

248. Si

248. Si tonsilla, uvula, palatum, musculique his inservientes, inflammentur, tum devoratio ut suprà; sed respiratio per nares difficilis, vel nulla, per fauces etiam parva et angusta; exscreatio et salivae sputum molestum et perpetuum; in aure interna, et viâ eò à faucibus tendente, dolor acutus, crepitus in aure, dum devorare moliatur aegrotus.

249. Angina orta ex translatione materiae, quae alicujus alius morbi inflammatione comitati in causâ fuit, nisi externè appareat tumor, quo brevi se exerat suppuratio, pro lethali aestimanda est.

250. Cùm morbus partes devorationi inservientes tantùm occupet febris, licèt majori vi saevire videatur, quàm cùm afficitur respiratio sola, non tamen exindè aequè cita mors venit: hôc casu tamdiù jusculà, parvâ copiâ in anum immissa, nutrimenti boni munere fungi debent, quamdiù aegroto non liceat ea devorare:

clysteribus enim adjuvantibus ad plures dies protrahi possit hujusmodi aegrotantis vita, dum intereà ad suppurationem felicem, quam optent medicus et vicini, adducatur apostema.

251. In anginâ lentâ, pituitosâ dictâ, haud alienum est vaporibus humidis aquosis fauces emollire et levitèr stimulare, ut crassus educatur lentor, curando simul ut aegroti caput situ erecto detineatur, ne exindè in partes morbosas major fiat humorum fluxio; at demùm levatâ horum ope pituitae mole, vaporibus siccis ex thure, myrrhâ, et benzoino accensis, exprimenda sunt reliqua, simul et partium laesarum vires instaurandae.

252. Surditas, quae à lue venereâ ortum suum sumit, fit plerumque ab ulceribus ad posteriora faucium; his, si se simul comitem praebeat aurium dolor molestus, atque ulcera parùm diù incurata maneant, ut plurimùm perit auditus, et saepè nasus ob membranarum vicinitatem.

253. Anginae conſpicuae non conſpicuis plerumque minùs periculoſae.

254. Angina paralytica, à quâcunque causâ orta, eſt rarò ſanabilis: tentari poteſt ea res medicamentis antiparalyticis et gargariſmis ſtimulantibus.

255. Anginâ, quae in morbis comitialibus, hypochondriacis, hyſtericis contingere ſolet, et finito paroxyſmo perſtet, plerumque miſſio ſanguinis inſtituenda eſt, et revellentia cum emollientibus et diſcutientibus externis, ut in ipſo paroxyſmo, ex nervorum diſtentione orto, admovenda.

256. Si aegroto anginâ laboranti devoratio fiat impoſſibilis, nec clyſteribus nutrientibus ſuſtentanda ſit vita, ſtatim ope ſyringis tubo flexili ex corio confecto armatae, cui appenditur globulus plumbeus cavus multis foraminibus pertuſus, aliquid moliendum eſt, an in ventriculum

triculum immitti poſſint tum alimenta tum et medicamenta idonea *.

257. Pro aureâ regulâ habenda eſt ſequens, ſcilicet, nunquàm aegris melancholicis, hypochondriacis, dicendum eſt, eos laborare hiſce morbis, nec quòd moeſti ſint, neque quòd ſe aliquandò jucunditati dent, ut ſe ludis oblectent: de his cum tertio quôdam adſtante colloqui oportet, nullo ad eos habito reſpectu; tunc enim anſcultabunt, et ex ſe ipſis perficient munera, quae ſunt in votis.

258. Balnea tepida, ubi in melancholicis adſit rigidus aut aſtrictus nimis corporis habitus, ut plerumque fit, egregio ſunt uſui.

259. Melancholici rarò taedium abſolutae ſanationi tribuendum tolerabunt, undè fit, quòd rarò ſanantur; et medi-

* Lectu forsàn non indigna invenientur, quae de anginâ noravi in Richardi Mead Monit. et Praecept. lib. i. pag. 207.

camenta

camenta ad ſymptomata praeſentia allevanda, potiùs quàm ad morbum ipſum debellandum dirigere neceſſe eſt *.

260. Peripneumonia ponit inflammationem acutam in arteriis bronchialibus, vel arteriis verè pulmonariis natam: haec illâ longè periculoſior, et inceptâ primâ totis viribus inſequitur altera; maturè igitur ſecum meditari oportet medicus, quo pacto adverſum haec omnia proficiſcendum eſt, ne iſtud malum eveniat.

261. Ex pulmonis naturâ ſpontè patent et periculum et ſanationis difficultas in morbis peripneumonicis; quippè vix niſi à largiſſimâ ſanguinis miſſione expectari poſſit ea revulſio, quae in morbis inflammatione maximâ comitatis fit quàm maximè neceſſaria.

* Quo clariùs intelligantur ea, quae ad hujuſmodi aegrotorum morbum et curationem pertineant, conſulenda ſunt Richardi Mead Monit. lib. i. pag. 64. 200. lib. ii. p. 124. 216.

262. Perip-

262. Peripneumonia à pleuritide parùm differt, niſi ſede, imò obſtructis finibus arteriae bronchialis fieri poteſt inflammatio ad intercoſtales, eò quòd nunc ex ipsâ aortâ, nunc ex primo, ſecundo, imò ſaepè ex octavo intercoſtalium pari originem trahit haec arteria.

263. In ſaevâ peripneumoniâ ſanguis emiſſus plerumque admodùm tenuis ob craſſa in pulmone retenta. Notatu enim dignum eſt, quòd pulmo poſt mortem in hôc morbo admodùm gravis, et inſtar ſacci ſanguine pleni repertus fuit.

264. Notatu dignum eſt, multa dicta fuiſſe à medicis ſcriptoribus de reſolutione benignâ in peripneumoniâ, cujus ſigna et ſanandi modus à peritiſſimo Boerhaave deſcribuntur; ſed hiſce dictis nequaquàm fidendum eſt; indè enim vel mortem vel phthiſin plerumque fieri proculdubiò conſtat.

265. Vult

265. Vult Boerhaave ſuppurationem in morbis pleuriticis et peripneumonicis ſemper fieri, niſi reſolutio obtineat ante quartum diem: naturae autem legibus aut normae non convenit haec doctrina; quippè hujuſmodi aegros quamplurimos novi, quibus diutiùs ſine ullâ ſuppuratione duravit dolor lateris vehemens.

266. Fallit medicum pulſus ut plurimùm in morbis pectoris; ideoque ubi pulmo obſtructionibus laboret, pro gradu obſtructionis et inflammationis, aut reſpirationis liberae defectu, mittendus eſt ſanguis.

267. Si accidat materiae idoneâ indole praeditae reſolutio in peripneumoniâ, vel per urinam vel per alvum, fit plerumque diebus criticis, ſcilicet tertio, quinto, ſeptimo, nono, undecimo; ſin verò neque hoc fiat, neque alio modo leventur hujuſmodi aegri, certè ſuppuratio fiet intra quatuordecim dies. Talem materiam

tiam per ſyſtema canaliculorum humores vehentium vagari, et cum ſanguine commiſceri novimus, ſi arteriarum pulſus ſit vacillans, non conſtans uno momento, ſed inaequalis robore et tempore. Idem accidit puerperis, cùm ſanguis ad mammas per venas uterinas defertur, vel tranſitu alius alicujus materiae.

268. In peripneumoniâ ſemper imprimis praecavenda eſt ſuppuratio; at urgentibus ſignis eam ex neceſſitate futuram eſſe, cavendum eſt, ut quàm minima fiat; ideoque regulae primae, à Boerhaave in Aphoriſmo 855 traditae, parum fidei in praxi adhibendum eſt, niſi re ipsâ conficitur pus.

269. Si peripneumoniâ laborans per ſuppurationem levamine aliquo potiatur, attamèn vivendi praviſſimè vetuſtum morem revocet, glandulae, quae ſine ſuppuratione aut ſolutione manſerint, fient ſcirri.

270. Lateris

270. Lateris dolor acutus rarò fit in ipsâ pleurae membranâ, ſed plerumque in muſculis intercoſtalibus, eò quòd dolet aeger in inſpiratu, quo tempore coſtae ſibi mutuò propiùs adducuntur per hos muſculos, et ipſa pleura magis laxatur, et vice versâ, dum perficitur exſpiratio.

271. Pleuritis notha dicta ſedem ſuam ut plurimùm ſupra coſtas habet; vera autem intra eas; quippè peractâ ſuppuratione pus in thoracis cavum fluit. Prior his indiciis cognoſcitur, ſcilicèt, dolore lateris, pulſu molli ſociato, nec non et febris et inflammationis abſentiâ.

272. Licèt ambo latera occupet morbus qui pleuritis nominatur, ut et alias partes, ſiniſtrum latus autem frequentiùs afficit, quia arteriae intercoſtales ibi minutiſſimae fieri incipiunt. Acutiſſimus autem dolor fit, cùm oritur hic morbus ſub ſcapulis.

273. Falluntur ſaepè medici, cùm pleuritis in peripneumoniam tranſit, quod ſaepè fit in vigore morbi. Diſtingui verò poteſt hujuſmodi tranſitio per ſigna peripneumoniae ipſius, praecipuè verò reſpiratione difficili, pectoris gravedine, doloris in latere ut plurimùm remiſſione, arteriarum pulſu molli, frequenti, et debili, genis rubentibus.

274. Paraphrenitis diſtinguitur à pleuritide, quia dolor non eſt in latere, ſed circa diaphragma ad extrema coſtarum, finemque oſſis ſterni, et inſtar cinguli thoracem ambit, et arctat. Praetereà in pleuritide reſpiratio muſculis abdominis muneribus appropriatis perficitur, in paraphrenitide verò maximè cum muſculis thoracis, cum crebrâ et celeritèr repetitâ reſpiratione, et quaſi duplicatâ et anhelâ, et aliquandò cùm ſuſpiriis et longis intervallis, et delirio continuo.

275. Hepatitis dicta diſtinguitur à pleuritide, in quâ dolor non eſt pungens, ſed

ſed gravans in regione hepatis circa hypochondrium dextrum, tumorque ſaepè infra coſtas ſpurias notandus eſt; reſpiratio plerumque libera eſt, et ad libitum expandi poſſit pulmo.

276. Quamdiù in pleuritide arteriarum pulſus maneat magnus et durus, licèt dolor admodùm urgeat, ſpes eſt boni exitûs; ſin verò mollis fit pulſus, nec multùm caleat nec meliùs ſe habeat aeger, malum praebetur omen, quippè ſanguinem in pulmone fiſti denotat *.

277. Nil melius in pleuritide quàm largus haemorrhoidum fluxus; promovendus eſt itaque omnibus modis.

278. Subitus ſtupor, gravedo, dolorque in brachiis, dum urgeat pleuritis, materiam fluxam reddi, et ad cor fluere oſtendit, et proindè bonum denunciat.

* Hanc obſervationem dedi in annot. ad Ricardi Mead Monita, &c.

279. Dum fiat miſſio ſanguinis tuſſire et fortitèr reſpirare debent aegri pleuritide laborantes, ut fluxio ſanguinis meliùs expediatur, alitèr ſaepè vix effluet, et parum boni recipient.

280. Suppurationem in pleuritide inceptam eſſe indicia ſunt, tranſitus doloris pungentis in hebetem, inflammationis diuturnitas, ſpirandi anguſtia, et facilior decubitus in affectum quàm ſanum latus.

281. Sanguis in pleuritide brevì fit pellitus, ſeu cruſtâ albâ obductus; ſin verò pleno fluxu è brachio miſſus exeat, fiatque ruberrimus et coccineus, peſſimum dat omen: hi enim aegri ſaepiſſimè moriuntur, eò quòd inflammatio majori putredine conjuncta indicatur.

282. Si à pleuritide, dum vigeat morbus, dolor ſine causâ manifeſtâ ſubitò ceſſet, remittatve cum arteriarum pulſu debili et ſudore frigido, fiet gangraena.

283. Dolores

283. Dolores ventriculi, ex ejus inflatione aut habitu flaccido et debili orti, ſanandi ſunt, plerumque ut inteſtinorum dolores, colici hyſterici dicti; maximè autem vomitu leni, medicamentis catharticis, amaris, tinctură rhabarbari, &c. ratione habitâ ad ſpecialem humoris latentis naturam, an ſit acida, bilioſa, &c.

284. In pertinacibus inteſtinorum morbis curandis, ſemper reſpiciendum eſt, an adſit febris; hâc enim datâ ſemper adeſt inflammatio, et vice versâ.

285. In morbis inteſtinorum clyſteres ex aquâ, aceti aliquantulo temperatâ, nonnullos ſanârunt, irritis aliis quibuſcunque remediis.

286. Quandò in inteſtinis aderint abſceſſûs rupti ſigna, cautiſſimè et pedetentim exhibere oportet quae ad victum aequè ac medicamenta ſint neceſſaria; quippè ex ſero lactis et juſculis molliſſimis

mis alendus est aeger; si enim panem vel carnem edat, vix sanari potest; dari solùm debent ea, quae stercoris quàm minimum generant.

287. Est icteri species quaedam, quae à pituitâ lentâ et glutinosâ bilis canaliculos infarciente, ejusque transitum aut cursum impediente, oritur. Id ipsum cognoscitur adesse à signis inertis pituitae multò antè praegressae, arteriarum pulsu plerumque tardo, vomitu lentoris glutinosi, appetitu deperdito; nec non et à vitâ desidiosâ praegressâ, quae ex se ipsâ ad pituitae cumulum quàm maximè conferret. Sananda est haec icteri species vomitu leni, catharticis attenuantibus, remediis dissolventibus, amaris, aromaticis, saponaceis, alcalicis, et tandem fontibus medicatis ferrugineis.

288. Color in ictericis non semper est flavus, sed differt pro colore bilis ipsius: videlicet, in atrabilariis ater est; si verò bilis sit viridis, color cutis sit naturali viridior.

289. Cùm

289. Cùm arteriae phreniticae multos ramos ad hepar dimittunt, non rarò evenit, quòd, inflammato hepate, citò fit circa diaphragma malum, quod apud medicos appellatur paraphrenitis.

290. Bilis ſanguine miſta eum in aquoſum liquorem reſolvit, undè facilè naſcitur hydrops.

291. Lien, obſtructo ut plurimùm hepate, fit tumidus et hebes; reſtituto autem humorum curſu ſatis libero, obtusè dolet.

292. Qui ictero laborent, errori fidem periculi pleno adhibebunt, ſi ad credendum poſſint animum inducere ſe integrè ſanatos eſſe, dum maneat durities, gravedo vel dolor, aut ſpiritûs difficultas, anhelanti ſimilis, primo quôque tempore cùm hinc atque illinc ſe movere cogantur.

293. In

293. In morbo colico hyſterico dicto, ſi aromatum et anodynorum ex opio confectorum uſu brevi non ceſſent ſymptomata, in his non perſiſtendum eſt, ne fiat vera inflammatio; ſed emollientibus more colicae bilioſae curandus eſt aeger: exinanitio materiae viridis acidum in ventriculo hoſpitare plerumque denotat.

294. In omnibus doloribus febre comitatis, cujuſcunque generis ſint, miſſio ſanguinis inſtituenda eſt, quam plerumque ſubſequi debet catharſis; exceptis tantùm inteſtinorum inflammationibus. Eadem monita obſervanda ſunt, etiamſi per aliquot menſes obtinuerit dolor: hôc autem caſu lentiori curſu quàm in ipſis acutis procedere oportet.

295. Si ſanguis miſſus pleuriticâ cruſtâ dictâ obductus appareat, ſemper ferè repetitionem poſtulat; imò etiam pro gradû

gradu tenacitatis et quantitatis hujus materiae plus minuſve craſſiae ſolet vigere inflammatio.

296. Si in morbis podagricis, rheumaticis, aut ſimilibus, exinanitiones frequentèr inſtituere neceſſe fuit, et poſteà ob malum corporis habitum tumida perſtent crura, faſciis ſenſim coarctanda ſunt; curandum autem ſedulò eſt, ut liberè reſpiret aeger, alitèr per humorum repulſum adveniet forsàn ſuffocatio.

297. Incipit ſemper ſanguinis ſputum cum tuſſe, et plerumque exit ſanguis ruberrimus, tenuis et ſpumans, cum arteriarum pulſu molli, parvo, et undoſo dicto, nec non et ſapore ſalſo in ore praegreſſo. Hinc itaque habenda ſunt diagnoſtica quaedam maximi momenti, ſcilicèt, an ex ruptâ parte aliquâ ventriculi, vel pulmonis, et à quâ praecipuè exeat ſanguis; quippè prior cum nauſeâ, cibi faſtidio, dolore ventriculi, et vomitione forti ejicitur; et ſanguis gradu

quôdam coagulatus et concretus ob moram in ventriculo apparet, imo et non rarò insignitèr foetet, et fruſtis largis ejicitur; poſterior autem ſemper cum tuſſe et ſenſu titillationis partis affectae excernitur.

298. Phthiſis vera pulmonaria incipit ut plurimùm cum oppreſſione onerosâ vel dolore pulmonis, dyſpnoeâ, et tuſſiculâ ſiccâ, veſperi ſaepè exacerbatâ, et ſemper anhelâ ad motum aut aſcenſum acclivem. Haec ſymptomata in juvenibus, mediaeve aetatis hominibus, ſi febre conjungantur, peripneumoniam veram inducunt, in ſenibus notham: ſi verò vel abſit febris, aut forſan levis tantùm febricula, quae ſine inſigni incremento vel levamine diu obtineat, phthiſin juvenibus ſecum afferre ſolet.

299. Dantur verò phthiſici quamplurimi, praeſertim apud Anglos (et, eheu! magnus eſt eorum numerus) qui ſanguinem nunquàm exſpuerunt; in his pulmo

pulmo tardiuſculè obſtructus et ſenſim putridus evaſit, nullo ſanguinis ſputo accedente. Quamvis autem permulti ita fiant tabidi, ſanguineae exſcreationis prorsùs expertes, exulcerato ſenſim pulmone, factâ tamen aliquâ haemorrhagiâ, citatiore pede currit morbus.

300. Qui ſanguinem ſpuunt, aliove aliquo modo ejiciunt, non ſanantur, dum arctis utantur veſtibus; quippè comprimuntur venae et implentur arteriae.

301. Spirandi anguſtia, licèt ſit ſatis difficilis, rarò in ſenibus phthiſin efficit, contrà verò in juvenibus, licèt multò levior: prioribus verò, accedente calore febrili, peripneumoniam notham dictam inducit.

302. Si ſedato ſanguinis ſputo ex pulmone in bono habitu corporis (et praecipuè ſi à vi externâ ortum fuerit) brevique exſpuatur materia purulenta, alba, inodora, ſpes eſt; nam ſine hâc conſoli-

dari nequit vulnus: contra verò in vomicâ diù antè ruptâ; quoniam materiem assiduò renovatam ostendit.

303. Anxietatis, caloriſque poſt paſtum praecautio, vel quantùm fieri poteſt mitigatio aut diminutio poſtulat, ut dentur cibi leves, et liquidi, qui eò magis dilui debent, quò anxietates majores, et ſanguis chyluſque difficiliùs per pulmonem tranſeant. Convenit etiam, ut exiguâ copiâ, et per vices frequentes exhibeantur, undè multò faciliùs per pulmonem circuitum ſuum faciet chylus.

304. Limaces hortenſes, cum ſale et aceto, vel per ſe comeſti, multis phthiſicis utiliſſimos eſſe novi: his etiam cum fructu inſigni exhiberi poſſint, quibus lac minimè placeat, infundendo vel levitèr coquendo cum decocto oryzae, hordei perlati dicti, vel ſimilium.

305. Quibus in ſputo (ex morbo recenti) appareant lineolae ſanguineae cum

pure commiſtae, tales aegri nonnunquàm ſanantur; quibus verò ſanguinea materies ſe in guttulis palàm faciat, nunquàm; quippè acorem putrem, et ſanguinis diſſolutionem magnam, denunciat tale ſputum.

306. Mulieres ob menſtrua retenta aliquandò ſtatis temporibus è pulmone ſanguinem ejiciunt; et indè non citò tabidae fiunt. Talis autem conſuetudo quamprimùm corrigi debet: difficultas verò ſanationis efficiendae hìc ſita eſt, ſcilicèt, quòd medicamenta, quae emmenagoga appellârunt medici, et quae ſanguinem calefacere ſolent, canaliculorum pulmonariorum ora dehiſcentia, aut non ſatis firmè occluſa, de novo aperiunt. His autem maximè proſunt balnea tepida ad lumbos porrigentia, ſanguinis miſſio ex ſaphaenâ, applicatio hirudinum venis haemorrhoidalibus, applicatio emmenagogorum cum opio ad uteri regionem, datis aliquandò catharticis mitioribus, vel potiùs clyſteribus ſtimulantibus, aut ſuppoſitoriis,

ſuppoſitoriis, aliiſque impetum ſanguinis deorsùm derivantibus: quibus conjungere oportet vapores aſtringentes, in pulmonem ope ſyphonis receptos, ut pars infirma roboretur.

307. In ſaevâ tuſſe, obortâ à laryngis tracheaeve titillatione, et in raucedine, applicationes externae, ſcilicèt, emplaſtrum de ſapone cum opio, cataplaſmata anodyna et diſcutientia proſunt; ut et in tuſſe puerorum convulsâ aut ferinâ dictâ.

308. Laudant ferè omnes medicinae ſcriptores fonticulos inter ſcapulas poſitos ad tuſſem levandam, materiemque pulmones exedentem aliò derivandam. In verâ autem phthiſi talem effectum indè provenientem mihi nunquàm obſervare contigit: ſenibus autem cachecticis, et ſerosâ colluvie oppreſſis, indeque tuſſe affectis, haud rarò utiles novi.

309. Ubi renes inflammatione affecti fuerunt, ſi quandò adſint ſigna reſolutionis,

tionis, praeſertim urina rufa inſtar coffee, promoveri debet per balnea tepida, et medicamenta diluentia, diuretica emollientibus conjuncta.

310. Si in renum calculo adſint vomitus, ventriculi nauſea, &c. non fiſtendi ſunt, ſed lenibus promovendi.

311. Nunquàm tranſit calculus, dum conſtringuntur renum membranae: ideoque in animo ſemper habendum eſt hoc propoſitum, ſcilicèt, vires debilitare, ureteres emollire, et magnam liquidorum diluentium et emollientium copiam ſuppeditare, adjectis ſimùl anodynis lubricis, et ſaponibus mitiſſimis.

312. Si in rene adſit ſuppuratio, tentanda ſanatio eſt per emulſionem oleoſam cum decocto ex quinque radicibus aperientibus confectam, cum ſero lactis aquâ Spadanâ, adhibitis intereà leniſſimis balſamicis, et victu mitiſſimo; quibus omnibus inceptis, ſine ullâ intermiſſione aegrum diu permanere oportet.

313. Calculus

313. Calculus veſicae cognoſcitur adeſſe ex ſenſu molis oneroſae in parte affectâ, ex dolore ante et poſt lotii efluxum, eumque per ſtillicidium tantùm emiſſum, cum ſedimento multo, craſſo, glutinoſo, ponderoſo, accedente plerumque pruritu ad caput penis, frequenti deſidendi cupiditate, ac dolore, ubi urinam licèt paulatim expellere neceſſe ſit, mictu faciliori dum in dorſum decumbat aegrotus, ut et immiſſione digiti in anum et praecipuè catheteris in veſicam.

314. Calculus diu manens in veſicâ, ulcera, puris mictum, cum multo gravi muco ſociatum, ſtranguriam, et febrem, quam medici hecticam appellârunt, efficit.

315. Si in nephritidis calculoſae paroxyſmo delapſus ſit calculus in veſicam, et apto tempore, neque propria ſua ſubſtantia, formâ arenae, ſabulive excernitur, tentanda via eſt quâ expelli queat, ſcilicèt,

ſcilicèt, deſidendo in aquâ calidâ, injiciendo oleum olivarum, &c. in vias urinarias, ipſamve veſicam ope catheteris, fricationibus partis affectae, clyſteribus oleoſis lubricantibus, vel his non proficientibus, ſtimulantibus, ut fiat frequens teneſmus, vel ſuppoſitoriis ejuſmodi. In his autem exhibendis non tantùm liberè de aquoſis lenibus bibendum eſt, ſed, non obſtante frequenti urinam reddendi conatu, cohibenda eſt urina in veſicâ, donec valdè plena fuerit, ita ut factâ quaſi urinae cataractâ, magis extendatur ſphincter veſicae, et majori urinae impetu propellatur lapillus.

316. Si calculus in urethrâ immobilis haereat, fotu, injectione oleosâ, ſuctu et inflatu, ope canalis ad conum ſimilitudine accedentis; vel his non reſpondentibus, inſtrumento idoneo arte chirurgicâ adminiſtrato educi debet. Qui inteſtinorum doloribus, quos colicos medici appellare ſolent, obnoxii ſunt, primum morbi calculoſi impetum pro tali

morbo plerumque habent; et reverà in his ſatis difficultèr diſtinguitur hic morbus in ipsâ ejus tentatione, ob vomitum, aliaque ſigna utriſque familiaria. Dolor autem colicus poſt cibum potumve aſſumptum ſemper increſcit, utpotè inteſtina ex iis devoratis in motum excitari neceſſe eſt; in nephritico autem non ita; quin potiùs poſt paucas indè horas ab adventu novi blandique chyli, mitiùs ſe habet; ideoque haec differentia eſt notatu diguiſſima.

317. In urinâ ciendâ, cùm renes à calculis adeò malè ſe habeant, ut per ureteres indè deſcendens urina vix aut ne vix quidèm in veſicam deſtillare queat, vitandus eſt ſudor; et quoad ſpem à veſicatoriis admotis, ſi quidèm iſtaec rarò ante diem ſecundum, aliquandò non ante tertium renes aut ureteres ſtimulare, vel ſtranguriam efficere incipiunt, ex his ad urinam ciendam ante hoc tempus parum auxilii expectandum eſt.

318. Si

318. Si renes ulcere affecti ſint, purulenta materia, quae in urinâ reddendâ ſubſidit, verum pus plerumque refert; ſi verò veſica tali morbo laboret, non tantùm purulenta, ſed admodùm glutinoſa et ponderoſa eſt materies. Haec diſſimilitudo adeò notatu digna, forſan ab ipſa naturâ membranarum animalium, è quibus conficitur gluten pro fabris lignariis, et carnosâ renum ſubſtantiâ oriri poteſt; ſaltem verò quaedam ad artem chirurgicam ſpectantia, et ad indolem temperiemque diverſam puris, quod ex membranis, vel partibus carnoſis, ſuppurationis opus ſubeuntibus, more naturali genitum ſit, clariùs explicari poſſunt, ſi de hiſce rebus cogitatio ſeria ſuſcipiatur.

319. Calculi albi minùs friabiles ſunt, cinerei minùs facilè exeunt, caerulei maximè omnium metuendi, ſiquidèm duriùs concreſcunt, nec friabiles ſunt.

320. Pruritus, qui à lithotomis tanquàm ſignum certiſſimum calculi in veſicâ latentis, multùm herclè fallere ſolet.

321. Calculoſis, dum torquentur, pedes inter ſe, ſubindè mutatis vicibus, implicare familiare eſt, quod aegrotis, qui inteſtinorum tormina pati ſolent, non aequè accidit. Hi enim non ſolùm ſe ultrò citròque incurvos tenent, ſed et pedes et crura ſurſùm trahunt *.

322. Febris intermittens alios morbos ſaepè ſimulat; cùm autem inflammationis cujuſdam ſpeciem ſibi aſſumit, miſſionem ſanguinis pro ratione morbi ſimulati plerumque poſtulat, antequàm exhiberi debet cortex Peruviana. Cognito autem, ſignis ſibi propriis, morbo ſimulato, datâ tum cortice Peruvianâ certè ſanabitur Proteiformis morbus.

* Plura, quae ad morbos renum et veſicae ſpectant, inveniet lector in Ricardi Mead Monit. et Praecept. lib. ii. p. 52. 188.

323. Arteriarum pulſus in febribus curandis maximi eſt momenti, non tantùm ratione roboris, viriumque aegroti, verùm et ratione partis affectae, quippè eadem ſymptomata, quae cum pulſu frequenti et debili debilitatem aegri oſtendunt, cum pulſu tardo cerebrum oppreſſum denunciant, et exindè certa ſaepè praebentur indicia, quibus agnoſcat medicus, quid de humoribus agendum eſt, an eos ſolùm exanimire, an in aliam partem derivare optimè conveniat.

324. Febres, quae apud medicos nervoſae et ardentes appellantur, prorsùs inter ſe repugnant, diſcrepantque; quippè qui febre nervosâ laborent, non ſolùm flaccidum nimis corporis habitum habent, ſed debili nimis curſu vehuntur humores: reverà enim debilitate ſolâ à caeteris febribus continuis ſeu putridis ſeu ardentibus apertiùs inter ſe diſtinguuntur. Aeſtate plerumque ſeſe obviàm dat febris nervoſa, licèt aliis anni tempeſtatibus

tempeſtatibus non rarò occurrit, maximè autem cùm caeli temperies frigida in calidiorem mutatur. Incipit haec febris plerumque frigore leniori, quàm ſolent pleraeque febres continuae: huic ſuccedunt arteriarum pulſus celer et debilis, virium languor, nauſea aliquandò et vomitus, cum alvo nunc nimis fusâ, nunc pertinaciter aſtrictâ. Hi aegri non multùm calent, vel ſitiunt, et linguas albidas habent, ut et urinas plerumque, licèt non ſemper, nunc ſedimentum albidum, nunc luteolum deponentes. Reſpiratio plerumque parva eſt, et in intervallis ſuſpirioſa, adeſtque vertigo, praecipuè ſi vel rubor interſperſus, et marmoreo more variatus, vel maculae pulicum morſibus ſimiles erupturae ſint. Circa faciem et pectoris regionem frequenter ſudant, et nonnunquàm per totum corpus, rariùs verò; hujuſmodi autem ſudores ſecum nullum levamen afferunt: è contra, his perfuſos aegros extremâ jam in morte eſſe novi. Progreſſu temporis increſcit debilitas cum ſenſuum torpore, et aliquandò

aliquandò delirio. In fine morbi nonnunquàm citiùs accedunt nervorum tremores, cum vel ſine ſingultu; quod poſtremum plerumque mortiferum eſt ſignum, praeſertim ſi fimbrias tractet et floccos colligat. Multi hôc morbo laborantes ſurditate, praeſertim in fine morbi, afficiuntur, quod frequentèr eſt boni praeſagii. Aliique aphthas in faucibus, gulâ, et ventriculo, habent, pro quarum varietate et denſitate plùs minùſve periculoſus eſt morbus. Hujus febris cauſa in arteriis quàm minimis locum ſuum habere videtur, undè tam magna humoribus circuitum ſuum facientibus naſcitur reſiſtentia, et tam parva ſit liquoris nervoſi dicti ſecretio, ut minimè mirum ſit, rebus ſic ſe habentibus, quòd valetudinis infirmitas, virium languor, membrorum et artuum tremores ſubſequi ſoleant. Quoad de hujus febris curatione agendum eſt, vires vitales ad gradum naturalem, ſi ullo modo licuerit, inſtaurandae ſunt; cùm verò in arteriis minimis, forſan ultimis, haereat malum, tales

mutationes

mutationes uno impetu effici abjicienda ſpes eſt; ideoque etiamſi medicamenta vires excitantia, et cardiaca dicta, dare convenit, remediis moderatè cardiacis opus hoc magnum et difficile ſenſim aggrediendum eſt, donec quantùm poſtulet hujus febris indoles, ex ſymptomatibus clariùs pateat.

325. Non raro accidit, quòd febres quaedam languidae, non obſtante peritiſſimâ curandi ratione inſtitutâ, diu obtineant: his ita ſe habentibus, omninò neceſſe eſt, hiſce aegris dare medicamentum cathartícum ex rhabarbaro; quod et, elapſis paucis diebus, pro virium ratione, repetendum eſt; hâc enim exinanitione haſce febres ceſſare vel in intermittentes deſinere ut plurimùm novi *.

326. Qui laterum dolore et febre acutâ, ſimúl et ſanguine cruſtâ albâ obducto, affecti ſunt, et peractâ tamen

* De febribus conſuli velim Ricardi Mead Monit. et Praecept. lib. i. p. 15. 145.

idoneâ

idoneâ ſanguinis miſſione ceſſet dolor, maneat verò interea febris, quae neque tempore neque remediis, uti aequum eſt, deſinit, vel pleuritidem recrudeſcere, vel mortem inſtare, teſtantur.

327. Particulae lucidae, et quaſi corruſcantes, quae, in febribus quibuſdam indolem putridam et contagioſam prae ſe ferentibus, iiſque carcere aut noſocomio graſſantibus quàm maximè conſimilibus, urinâ innatare videntur, mortem adeſſe, vel morbum longum fieri plerumque denunciant. His aegris ut plurimùm adeſt delirium cum ſtupore quôdam, et quaſi ſine ſenſu. Tales urinae rarò ſedimentum deponunt, adeſt autem nonnunquàm nubecula.

328. Titillatio partis optimè locum, ex quo profluat ſanguis, docet, ſcilicèt, laryngis titillatio, cum parco ſanguinis ſputo, tracheae ſuperiora affici denotat. Si titillatio profundior tuſſim cum levi

haemorrhagiâ excitet, abſitque ſenſus oppreſſionis oneroſae in thorace, trachea inferiùs afficitur. Si titillatio ingens tuſſim perpetuam excitet, et cum muco admiſtus ejiciatur ſanguis, ex abrasâ membranâ bronchia ſuccingente eum provenire indicium eſt. Denique, ſi ruptus ſit arteriae pulmonariae ramus, cum profundâ titillatione rejicitur ſanguis, partim ſpumoſus, partim ruberrimo colore praeditus.

329. Si ingens adſit haemorrhagia à pulmone, neque ulteriùs ſanguinem mitti ſinant vires vitales, ligaturae venas tantùm comprimentes, et indè ſanguinis curſum per arterias impedientes, brachiis ſcilicèt et femoribus paulò ſupra genua applicatae, ex magno uſu erunt.

330. Senes cachexiâ laborantes, et ſimul morbis diuturnis excruciatos, regiones frigidas, et paludoſas habitantes, nec non et infantes, prae caeteris obſidere ſolent aphthae, et praecipue tempore aeſtivo;

tivo; ut et eos, qui febribus languidis vel intermittentibus recidivis obnoxii ſint.

331. Aphthae non ſolùm fauces, labia, et os internum occupare ſolent; quin ejuſmodi ulceribus afficiuntur tum ventriculus, tum inteſtina, quae ſenſim à ventriculo in os aſcendentia, cruſtâ albâ et densâ, inſtar lardi recentis, ſplendentis, lentè progrediuntur, donec totas ferè fauces uſque ad labia obtegant; undè pereunt tum guſtus et appetitus, tum obſtructis canalium lacteorum viis, perit nutritus, cibis devoratis, unà cum putridis humoribus, qui ab ulceribus hiſce deſtillare aut potiùs effluere ſolent, per anum ejectis; imò, et non rarò accidit, quòd ab exeſis et abraſis membranis, decidentibus cruſtis ulceroſis, ſequitur dyſenteria ſanguinolenta.

332. Lis fuit inter medicos, an ex febre, an ex ſuppuratione moriantur pleuritici, eò quòd in defunctis ſemper

ferè invenitur pus, vel in ipso pulmone, vel aliis thoracis partibus. Ambo quidem mihi errare videntur: puris enim licèt aliquid se palam faciat, rariſſima prorsus est ejus copia, et sublatâ inflammatione vix credible est, ut febris, quae superſit, mortifera foret. Reverà autem omnis pleuritis lethalis in peripneumoniam transit, prinsquàm moriuntur aegroti; cujus vi obstruitur pulmo, et adeò impeditur sanguinis cursus, ut suffocatio et mors forsan inopina subsequantur.

333. Peripneumonia, quam veram nominârunt medici, his indiciis cognoscenda est, scilicèt, tussiculâ, pulsu veloci, respiratione frequenti, difficili, cum sensu ardoris et oneris gravis in thorace, accedente simul calido exspiratu; quod postremum applicatione manûs praecipuè patet. Sub ipso initio morbi respiratio plerumque rara est et magna, et brevi succedunt symptomata praedicta, cum tumore et rubore faciei, praecipuè si

morbus

morbus tres vel quatuor dies obtinuerit. Corpore erecto meliùs ſpirant hi aegroti, decumbente difficiliùs; et ſi unum latus tantùm affectum ſit, decubitus in ſanum impoſſibilis. Curatio hujus morbi poſtulat largam et citam ſanguinis miſſionem, ad animi ferè deliquium inſtitutam, vel ſaltèm donec inſigni more levetur ſpirandi anguſtia; quae, ſi urgeant ſymptomata periculoſa, repetenda eſt, dando ſimul medicamenta nitroſa, ſubacida, refrigerantia, et id genus alia, ſicut in pleuritide ſummâ inflammatione ſociatâ; quippè in his tantùm habent diſſimilitudinem peripneumonici à pleuriticis, quòd in prioribus ſuppuratio citiùs et faciliùs, quàm in poſterioribus accidit, undè citiùs in tabem deſinunt; et proindè omnibus modis tentandum eſt, ut in tribus vel quatuor primis morbi diebus fiat reſolutio, et ſanetur, aut ſaltem multùm minuatur inflammationis gradus; et dein promovenda eſt pectoris expurgatio, ſi fortè aliquid purulenti intùs lateat. Strepitus

autem

autem pituitae vel puris in pectore, ubi aeger magno cum conatu ſputum edere ſe fruſtrà fatigat, citae mortis futurae index eſt.

334. Peripneumonia, notha dicta, tardè et gradatim, ſub ſpecie frigoris recepti, aegros incautos opprimit, et adeò lentè progredi videtur, ut multos horum jugulat, priuſquàm ſe ferè aegrotare credunt. Incipit hic morbus plerumquè cum levi ſpirandi anguſtiâ, cum laſſitudine, inerti corporis animique torpore, unà cum tuſſi non admodùm moleſtâ, et proindè ad materiam pituitoſam exſcreandam inutili. Haec ſymptomata indies increſcunt, praecipuè dyſpnoea, cum arteriarum pulſu frequenti, nunc pleno, nunc debili, pro gradu, quô pulmo infarciatur. Horum veſtigiis pro certò haerent thoracis gravedo, vultus inflatus, aliaque ſigna verae peripneumoniae attinentia, iis ſolis exceptis, quae ad pulmonis inflammationem unicè ſpectent. Adeſt ſaepè in his inflammatio levis, à

frequentiori

frequentiori pulmonis attritu nata; ſanguiſque miſſus talem adeſſe non raro oſtendit, licèt ex ſiti, calore, pulſuque, aliiſque inflammationis certis ſociis non appareat. Curatio poſtulat, ut primò minuatur humorum abundantia; ſecundò, ut ſolvatur pituita, excitatâ tuſſe cum exſcreatione ſatis liberâ et copioſâ, ut à craſſo lentore liberetur pulmo. In his autem peragendis, cautè et cogitatè res tractanda eſt, ne in remedia attenuantia et calefacientia exhibendo, major fiat pulmonis infarctus, et indè ſuffocetur aegrotus; et ſimul ne medicamenta adeò ſint debilibus viribus praedita, ut invalida forent auxilia, quae omnem et medici et aegroti expectationem fruſtrabunt.

335. Dolores inteſtinorum, flatibus comitati, feminas hyſtericas et viros hypochondriacos imprimis obſident; non autem hos ſolos, quin eos etiam, qui liquores vini ſpiritibus refertos libere ingurgitantes, ſimul ventri inſaturabili indulgent,

dulgent, eoſque praecipuè, qui ſe otio et deſidiâ marceſcere dedêre. Si ventriculo aut inteſtinis inflatis tantummodò fiat dolor, hujus morbi indicium eſt ſenſus iſte omnis, febris expers, quô ventriculus et inteſtina expandi videntur; nec non et multivagus flatuum tranſitus à loco ad locum, ſecundum inteſtinorum longitudinem. Ea autem res, in omni inteſtinorum dolore, boni eſt ominis. Hi flatus oriuntur plerumque vel ab ingeſtis, quae nimiâ copiâ devorata fuêre, et adeò moram nimis longam fecerunt, ut putreſcunt; vel ab aſſumptis, quae facilè fermenteſcunt, ut ſunt cereviſia nova, muſtum vinum, fructus crudi, hortenſes, aliaque ſimilia; vel à materiâ per cutis meatus, non, ut aequum eſt, expulsâ, quae res ſenibus, aliiſque viſcera debilia habentibus, familiaris eſt; vel denique ab ipſis inteſtinis, quôcunque modo obſtructis, undè nimis diu retinentur ingeſta, licèt perparcè aſſumpta, quae fermentando flatus generare ſolent.

336. Colica,

336. Colica, quam hyſtericam appellârunt medici, cognoſcitur adeſſe abſentiâ febris, vomitu enormi materiae viridis, et urinâ aquosâ, copiâ largâ redditâ, unà cum dolore ſaevo: quae omnia alvo nonnunquàm, quàm par eſt, fuſiore, aliquandò aſtrictâ nimis, et ſine febre, ſe palàm faciunt.

337. Si in hyſtericis paſſionibus ſaevi fuerunt dolores, convenit catharſin diutiùs deferre, quàm in aliis; quippè cùm ex quibuſdam nervorum diſtentionibus oriuntur, irritatio ex medicamentis catharticis non rarò mala recidiva ſecum infert.

338. Stranguria, ſeu urinae difficultas, atroces inteſtinorum dolores, praeſertim inflammatione ſociatos, comitatur, et praecipuè, ſi adſint inanes deſidendi conatus, ob partium vicinitatem: levato autem morbo ſpontè ceſſat. Propter eandem etiam rationem ſtranguriae inſtat teneſmus.

339. Saepè poſt frequentes et immanes vomendi reditus, nec non et inteſtinorum inflammationes, manet dolor ſub ventriculo, qui motu increſcit, et dolores, ut vocantur, colicos recidivos gignit. His plerumque adeſt ſcirrus, cancer, vel ulcus in pancreate. Talis enim aegrotus ſentit grave pondus ſub ventriculo. Si edat, dolet; ſi vomat, dolet; maximè eâ ratione, quâ plus minuſve ad cancrum vergat morbus; tandèm tabidus factus diarrhoeâ vel dyſenteriâ extinctus perit, ſcirro in cancrum tranſeunte. Hujuſmodi aegri integrè ſanari nequeunt, ſed cibis leniſſimis et dilutis, parcâ copiâ unâ vice aſſumptis, curari debent.

140. Si in dolore flatulento inteſtinorum adſit vomitus, et praecipuè, ſi ab ingluvie ortus ſit morbus, hauſtibus ex infuſ. cardui benedict. vel flor. chamaemel. repetitis, ventriculus expurgandus eſt, priuſquàm medicamenta ſibi propria et idonea exhibenda ſunt.

341. Omnes

341. Omnes homines flatus habent in inteſtinis, non tamen eos adeſſe ſentiunt, niſi iis iter impediatur, quod fit, vel ab ipsâ inteſtinorum culpâ, vel ob nimiam flatuum copiam, quâ nimis expanduntur; vel à nervorum diſtentione, quâ inteſtinorum cavitas coarctatur: et proindè cùm motûs, periſtaltici dicti, ceſſatio vel cunctatio horum affectuum eſt cauſa primaria, curandi ratio poſtulat, ut minuatur dolor, et flatibus, reſeratâ alvo, fiant iter et exitus. Hoc optimè efficitur clyſterum ope, qui ex medicamentis paulò calidioribus confici debent; et, reddito clyſtere, detur anodynum tale, quod flatus compeſcere valeat. Si alvi ductione et ope anodyni ceſſet dolor, benè eſt; ſi non, repetendus eſt clyſter, et brevi poſt anodynum; ſi autem urgeant vehementes dolores, applicentur fotus et emplaſtrum anodynum diſcutiens, quale erit illud ex theriac. Andromach. et philon. Londinen. componendum; et bibat aeger aſſiduò liquores

blandos, qui clyſterum ope deorsùm derivandi ſunt, interpoſitis pro re natâ anodynis.

342. Oriuntur gravidarum morbi plerumque, vel à majori ſanguinis copiâ, quàm ad foetûs nutrimentum requiritur, quod in primis graviditatis menſibus fit, vel à mole et motu foetûs aut ſecundarum, &c. partes vicinas irritantium et comprimentium. A priori pendent ſymptomata, quae puerperam periculo afficiant; qualia ſint nauſea, vomitus, appetitus depravatus, animi deliquia, vertigines, dolores ſtomachi, pectoris, renum et mammarum, diarrhoea, corporis totius torpor, ſpirandi difficultas, dolores dorſi et inguinum, undè ſaepè abortus. Haec autem omnia idoneâ miſſione ſanguinis è brachio plerumque ſanantur, adhibitis ſimul iis remediis et auxiliis, quae mulieris gravidae ingraveſcentis curatio ſibi vendicet. A poſteriori causâ oriuntur, ſeu potiùs protrahuntur, ſupra recenſita ſymptomata, tum etiam urinae difficultas,

difficultas, alvi aſtrictio, haemorrhoides, venarum inferiorum varices, glandularum diverſarum tumores lenti, leucophlegmatiâ comitati, pedum et labiorum vulvae et pudendorum inflatio et dolor, titubatio, et frequens lapſus proclivis. His ſymptomatibus, ut prioribus, levamen adfert miſſio ſanguinis, quae ſemper in brachio inſtituenda eſt. Faſciis etiam vel emplaſtris roborandae ſunt partes infirmae, et laxae, et linimentis blandis inungendae ſunt multùm dolentes; talique corporis ſitu conſultò ſe tenere debent gravidae, quo partes turgidae nimis, vel dolentes ſaltèm, minùs oneroſae evadant, quod ſitu ſupino prae caeteris fieri ſolet.

343. Mulieres gravidae ſanguinis copiâ abundantes plerumque tertio menſe abortiunt, quia placenta tum temporis adeò ſanguine obruitur, ut pro ſuâ mole et pondere utero adhaerere nequeat. His prodeſt ſanguinis miſſio quatriduo ante aſſuetum menſtruorum recurſum, quod etiam menſe ſequenti parciori copiâ repeti

peti debet, et dein menſibus ſequentibus, ſi poſtulet occaſio.

344. In ſanguinis miſſionibus, dum gravidae ſint mulieres, ſcire oportet, non tantùm an mulier plethorici ſit corporis habitûs, quinetiàm an more naturali multa muliebria habere conſueverat. Hujuſmodi enim mulieres ſanguinis miſſionem poſtulant, etiamſi non adſint plethorae ſigna, quippè aliis faciliùs abortiunt.

345. Abortus ſit ex cauſis ferè infinitis, maximè autem ab iis, quibus vi aliquâ placenta ab uteri fundo, vel ex omni vel aliquâ parte ſoluta eſt, quales ſunt motus corporis nimii, paſſiones ingentes, lapſus, et abdominis percuſſio, &c.

346. Ab ipſo utero haemorrhagia caeteris periculoſior eſt, et ſi larga adſit, certum abortum brevì futurum denunciat. His autem indiciis cognoſci

poteſt, ſcilicèt, ore uterino interno laxo, reſoluto, fluxu ſanguinis vivi, ruberrimi, vel per partes concreti, eóque plus aut minùs accelerato; pro quorum gradu plus minuſve periculi adeſt.

347. Datur aliquandò haemorrhagia ex ipſis vaginae canaliculis, undè gravidae quaedam plethoricae, vel eae tenuem nimiſque liquatum ſanguinem habentes, menſtrua ſingulis menſibus emittunt; hoc autem rariùs fit, et facilè à mulieris narratione elicitur; raróque in hâc re medicaminis opus eſt, utpotè hujuſmodi mulieribus plerumque levamen adfert iſta exinanitio, ne nimiâ ſanguinis copiâ obruatur placenta; ſin autem, vel per humorum derivationem nimiam ad uterum, fiat abortûs periculum, vel nimio profluvio debilitetur mulier, è brachio ſanguis mittendus eſt; cujus ope, adjuvantibus ſimul corporis quiete, levibuſque aſtringentibus remediis, facilè ſanatur hocce malum; cui etiam foetus, plus pluſque indies mole increſcens, et majorem

majorem ſanguinis copiam poſtulans, non parùm proficit.

348. Si gravidae accidat haemorrhagia, perpendendum eſt, cujus ſit generis, an cum doloribus dorſi et abdominis, necne; et tandèm an ſpontè, vel ex vi aliquâ utero impreſsâ, proveniat; ex quibus ritè perpenſis facilè patebit indicium, quid medico agendum eſt, etiamſi non ſemper optato potiri liceat, aegrotam ex morbi periculo liberare poſſe.

349. Si gravidae contingat, quòd vel pleno rivo exeat ſanguis, qui rubeat nimis, vel largâ copiâ ſibi mutuò ſubſequantur grumi, vel ad aliquot dies, licèt minori copiâ, obtineat haemorrhagia, accedente ſimul dolore dorſi et ventris, unà cum relaxatione et hiatu aliquo oris uterini, brevì inſtat abortus, irritis quibuſcunque remediis; quo caſu, manu chirurgi vel obſtetricis extrahendus eſt foetus methodo citiſſimâ, maximè verò per pedes; ſimulque à placentâ, membranis,

branis, ſanguinis grumis, &c. liberandus eſt uterus, mulierque ſomno et quiete reficienda, et dein per dies aliquot more puerperae curanda.

350. Si abortus non fiat, tamen et ſanguinis fluxus talis perſiſtat, ut indè periclitetur vita mulieris, immittantur pro re natâ clyſteres, ut horum ſtimulo muſculi ventri inſervientes officiis ſuis fungi queant, et talem exerere niſum, ut fieri alitèr vix poteſt, quin uterus foetum dabit. Optandum autem potiùs eſſet, ſanguinis profluvium cohiberi potuiſſe, priuſquàm immiſſi ſint clyſteres; certiùs enim dolores, qui foetum edere valeant, inferre liceret. Si verò res longè alitèr eveniat, immittendi ſunt; ſatiùs enim eſt uterum et abdominis muſculos hoc modo in actum excitari, quàm mulierem inevitabili fato perire.

351. Hoc compertum habeo, obſtetricum aliquarum culpam tempeſtivè coarguere neceſſe eſſe, quotieſcunque in-

ternum os uteri digitis ſuis irritando, ejus tumorem et inflammationem perperàm inferre periclitantur; hoc enim modo uteri os adeò contractum et anguſtum evadit, ut partus ſit multò difficilior. Monendae itaque, ne hoc nimis crebrò faciant, modò in primo partûs gradu accerſitus fuerit medicus; quod equidèm rarò fit.

352. Morbi puerperarum, qui feminas ab hâc ſolâ causâ afficiunt, ad claſſes ſequentes reduci poſſunt: primò, dolores poſt partum; ſecundò, exinanitiones nimiae, vel nimis parcae, aut penitùs ſuppreſſae, et quae pervulgatiori lochiorum nomine cognitae ſunt; tertiò, febricula eo tempore exorta, quo lac ad mammas defertur, undè non rarò fiunt inflammationes variae, ſupprimuntur lochia dicta. Quaedam ex hiſce ſaepè puerperis exitum diriſſimum adferre ſolent.

353. Femina, cum primùm à partu liberatur, lecto per dies aliquot conſig-

nari, ibique juſculis lenibus refici, ſomno et quieti indulgere in camerâ tepidâ et ſubobſcurâ, debet.

354. Mulieri poſt partum brevì evenire ſolent dolores valdè acres, qui, Anglico ſermone, after-pains vocantur, etiamſi nihil in utero reſtet; rarò autem in primo partu ſe oſtendunt, ſed per caeteros omnes continenti ordine ſubſequentes; et proindè oriri videntur à placentâ de ſuo loco detractâ, undè nihil nunc impedit, quin impetu quodam propellitur ſanguis in canaliculos, eo tempore, ut opinor, minùs pervios, quatenùs eos veteribus partûs injuriis partim laeſos fuiſſe, partim clauſos et obſtructos manſiſſe neceſſe eſt. Hujuſmodi dolores, ſi ab hâc ſolâ causâ, ſcilicèt à reſerandis canaliculis uterinis, proveniunt, non multum periculi habent, et plerumque lenibus cardiacis et anodynis modicis tractati tolerabiles evadunt.

355. Si vel ex interrogatione obſtetricis e. mulierum adſtantium, vel ex tu-

more abdominis adhùc perſiſtente, (qui ſemper poſt partum evaneſcere debet, ni vel foetus alter, vel extraneum quoddam intùs lateat) vel ex conſpectu placentae et membranarum, pateat, partem harum aliquam adhùc in utero locum obtinere, tum ſtatim extrahi debent, modò nimis occluſus non ſit uterus, quod rarò citò poſt partum fit: tali autem caſu ibi relinquendae ſunt, fruſtulatim enim et gradatim plerumque in ſomno foràs excludentur.

356. Cavendum ſedulò eſt poſt partum ab uſu medicamentorum, quae in menſtruis ciendis quàm maximè pollere dicuntur, ne indè fiat haemorrhagia periculi plena.

357. Nonnunquàm accidit, ignarâ adjuvante obſtetrice, integram placentam relictam fuiſſe. Si enim in placentâ extrahendâ funi umbilicali tantummodò fides data fuerit, quis non novit, iſtum, foetu benè ſe habente, ſaepè tenerum eſſe,

eſſe, et facilè ruptum? praeſertim ſi utero firmitèr adhaereat, aut ſi mortuo foetu corrumpatur, quod in hoc rerum ſtatu ferè ſempèr accidit; aut denique ſi, omnibus bene ſe habentibus, non ſat citò extrahatur, triſtiſſimum oritur malum. Si enim ab utero amota, libera in ejus cavo maneat tota placenta, vel pars ejus aliqua, diriſſima ex utero fit haemorrhagia, undè brevi indigniſſimè intereat mulier, niſi ſtatim manu extrahitur. Id fortè fortunâ fieri aliquandò finent pudendorum habitus laxus, tum oris uterini natura etiamnùm aperta. Si verò clauſo uteri ore ad ejus fundum firmitèr adhaereat, tum nulla muliebria effundantur, undè omnia mala in ordine accedent, quae ex his integrè ſuppreſſis, et placentâ ſimul putreſcente oriri neceſſe eſt. Si eò res triſtiſſimo eventu redigantur, applicandi ſunt ſtatim fotus ex emollientibus, cum paucis emmenagogis dictis, ad uteri regionem; hiſque peractis, immittendi ſunt fotus ejuſmodi, ſyringis ope, frequentèr in uterum, et

circumcircà

circumcircà umbilico admovenda ſunt cataplaſmata ex ſimilibus confecta, quae ſaepè repetere oportet. Clyſteribus etiam, pro re natâ repetitis, excitandus eſt niſus inteſtinorum et muſculorum abdominis, et praecipuè ſuppoſitoriis acribus, quorum vi fiat ſtimulus cum minori diarrhoeae periculo. Huic rei multùm proſunt etiam ſternutatoria, et tuſſim moventia, aliaque deorsùm prementia; ſimulque interna exhibenda ſunt remedia, quae ſanguinem ad partes uterinas propellant.

358. Cùm primùm peperit mulier, ingens ſtatim emittitur ſanguinis copia, quae ex canaliculis uterinis ſanguine diſtentis, ſecundis jam primùm ſublatis, effunditur. Haec ſanguinis effluentia ad ſex vel ſeptem dies protrahi debet, ſenſim quotidiè decreſcendo tam copiâ quàm coloris vigore, ita ut ſub finem adeò pallidus exibit ſanguis, ut vix colorem alicui rei inducere queat.

359. Fit

359. Fit aliquandò fluxio nimia lochiorum dictorum ab acri et calidâ nimis ſanguinis craſi. Hujuſmodi morbus eodem more ſanandus eſt, quo menſium profluvium, niſi quòd leniora hìc exhibenda ſunt, praecipuè primis quatuor diebus; et proindè emulſiones attemperantes, incraſſantia lenia, et aſtringentia ſimilia, cum diaetâ aptè accommodatâ hoc tempore plerumque, quod ſatis erit, ſubſidium ferunt; eò quòd brevì ſpontè, ut plurimùm, minuitur haec haemorrhagia, et etiàm, quòd ſubitanea lochiorum ſuppreſſio, ſaltèm in primis tribus vel quatuor diebus, injicit puerperae periculum mortis. Sin autem tantâ copiâ effluat ſanguis, ut vires indè inſignitèr debilitentur, fortioribus aſtringentibus uti neceſſe eſt, ratione intereà ſempèr habitâ ad cautiones praegreſſas.

360. Si elapſis diebus, quibus lochia effluere debent, et ea non ſpontè deſinere, ſed fluxione ſuâ puerperam valdè debilitare

tare pateat, eodem more curanda ſunt haec, quo immodicum menſium profluvium ſanare in propoſito erit.

361. Quicquid functiones corporis animive turbet, lochiorum ſuppreſſionem inducere poteſt, imprimis verò ſequentia, frigus contractum, ira praeſertim et triſtitia, dolores acres cujuſcunque generis, cibi duri, crudi, et nimis lauti, ſeu corporis habitum nimis calidum reddentes, ſeu copiâ nimiâ aſſumpti, paſſio hyſterica dicta, aliquid frigidum manu retentum, et praecipuè pedibus admotum, ſomni defectus, diarrhoea, vomitus, aliaque innumera. Ex quibus perpenſis patet, cauſam hujus mali proximam uteri canaliculis et membranis nimis arctis et aſtrictis redditis tribuendam eſſe, unà cum humorum motu nimio vel nimis inerti ſociatis.

362. Si mammae turgeant, nec lac exeat, neque fluant lochia, tum puerpera fiet maniaca, inquit Hippocrates. Hoc aliquandò

aliquandò in tempeſtate calidâ aeſtivâ verum eſſe novi; forsàn in Graeciâ ob majorem calorem frequentiùs evenire ſolebat.

363. Febricula, Anglicè dicta milk-fever, plerumque tertio quartove die à partu oritur, eò quòd hoc tempore lac ad mammas defertur, et hoc peracto minuitur lochiorum fluxio. Cognoſcitur haec febris tempore opportuno, quo puerperas aggreditur, horrore et frigore alternè ſe recipientibus. Sanatur praecipuè juſculis diluentibus, exactâque diaetâ; et notatu dignum eſt, quòd ſi puerpera ſe horrere ſentiat, in quatuor horis lac erit in mammis. Durat autem haec febris, ex lacte genita, plerumque ad quatuor dies, eâque paulò acriùs exardente minuitur lachiorum fluxio; hâc verò finitâ, nono circitèr à partûs die, iterùm gradu quodam non rarò redeunt lochia: undè nutrices puerperam religioſè hoc die in lecto detinent.

364. Si puerpera infantem lactare vellit, curandum eſt, ut frequenti ſuctu, lenive mammarum affrictu, lac ad mammas deferatur. Infans autem ſolus ad hoc vix ſufficit, undè reſiduum fit caſeoſum, malaque ſecum non pauca adfert.

365. Si lac puerperae defecerit per horas, adhibendae ſunt lenes fricationes, et tum experiendum eſt, quid poſſint feminae, quae mammarum ubera ebibere ſolent, ut lac eò derivent, et vias quaſi aperiant.

366. Si puerpera infantem lactare nolit, curandum eſt, ut liberè fluant lochia; mammas eodem tempore lenitèr contrahere oportet. Hoc fit admovendo emplaſtra mammis modicè diſcutientia, quale eſt emplaſtrum commune cum gummi, vel applicatu lini vel lanae, ſpiritu vini Gallici madefacti, ſub axillis, ipſiſve mammis. Interea autem lac è

mammis

mammis bis quotidiè exſugendum eſt, ne ibi manens obſtructiones pariat. Hanc mammarum à ſugendo exinanitionem, cum lac diſcutiendum eſt, ſaepè renuunt ignarae obſtetrices, aliaeque puerperae, eò quòd lac non aequè citò diſcutitur; malè autem puerperae ſaluti conſuluut ambae, cùm febres et inflammationes, nec non et quamplurima mala, quae indè ortum ſuum ſaepiſſimè ducere ſolent, tam parvi pendunt.

367. Si puerpera morbo quolibet inflammatione comitato corripiatur, v. g. à pleuritide, perpendendus eſt arteriarum pulſus, durus, ſcilicèt, an mollis, ut et lochiorum fluxio, et pro horum ratione ſanguis eſt mittendus. Renuunt equidèm ferè omnes mulieres, aliquique medici ſanguinis miſſionem in aegris puerperis, etiamſi prorsùs deficiant lochia, ſeu nimis parcâ copiâ effluant; tutò tamen non rarò imperavi, cùm ſaevi urgebant dolores, etiam et lochiis fluentibus; minor autem ſanguinis miſſi copia, cae-

teris paribus, his quàm aliis ſufficit aegrotis. Praeterea cùm praedicta exinanitio in omni puerperâ fieri debet, etiamſi nulla adfuerit inflammatio, ſatis conſtat, eâ praeſente, ad quam allevandam non ſufficit excretio naturalis, talem poſtulari ſanguinis miſſionem, quae unà cum lochiis ad ſymptomata mitiganda ſatis erit.

368. Infantes recentèr nati per aliquot horas dormire ſolent, quo tempore paſci non debent, imò non omninò citiùs quàm decem vel duodecim horae elapſae fuerunt; infarcitur enim humore tenaci ventriculus, qui jejunio, vel actione muſculorum abdominis officio inſervientium, reſolvitur, et in inteſtina protruditur. Si verò hoc non fit, et alvus obſtinatè clauſa fuerit, accedentibus nauſeâ, febre, vomitu, torminibus, inflatione ventriculi et abdominis, crepitu ventris frequenti et ſonoro, et ſimilibus ſymptomatibus, lenis immitendus eſt clyſter, et pro re natâ repetendus; cujus ope laxantur

laxantur et lubricantur inteſtina, et hoc modo facilè deducetur ſtercus, quod meconium appellârunt medici; aut hujus vice immittendum eſt ſuppoſitorium ex melle s. a. cocto; anteferendus autem, ut opinor, eſt clyſter.

369. Fusè diſtinguunt auctores cauſas meconium retinentes in ſiccitatem viarum, duritiem et copiam materiae, debilitatem virium expellentium, multaſque alias conſimiles cauſas, quarum ſigna ſpecialia faſtidiosè enumeraverunt; ſed inutiles ferè ſunt hujuſmodi differentiarum notationes; quippè medendi modo ſuprà memorato ſemper à meconio liberantur infantes, modò ſpontè opem non attulerit natura, niſi forsàn manus chirurgi requiratur ad anum diſcindendum, quod rariſſimè evenit.

370. Vetant infantibus anodyna uno ore medici, ſed malè; aequè enim tutò gradu congruo his ac provectioribus exhiberi poſſint, nequaquàm tamen mulierculis

lierculis committi debent, ut ſecundum earum voluntatem aſſumentur.

371. Urinae difficultas, quae ſaepè accidit gravidis, potiùs oritur à compreſſis renibus et ureteribus, quàm veſicâ, eò quòd ſurſùm aſcendit uterus, parumque urinae in veſicâ habent. Aliquandò autem à veſicâ compreſsâ ortum ducit, et tum veſica eſt urinae plena. Dignoſcuntur cauſae à ſitu foetûs ſublimi, ſcilicèt, vel inferiore.

372. Haud rarò propter perpetuum mingendi conatum et urinae acrimoniam accidit, quòd pudenda externa in iis, quae calculo veſicae laborant, dolent, tument, et inflammantur; quo caſu per dies aliquot bis terve quotidiè decocto anodyno emolliente foveri debent partes illae, antequàm catheterem immittere conatur chirurgus; imò et per totam curationem hoc fieri oportet, modò talem ſocium atque comitem habeat haec miſerrima calamitas.

373. Sub

373. Sub acribus humoribus calidâ temperie praeditis, qui in corpore humano ſaepè locum habent, omnes eas acrimoniae ſpecies ad unam redigere oportet, quâ ſine aliâ causâ, quàm ſuâ propriâ vi, calor corporis increſcere atque ultra ſalubrem naturae ſuae modum progredi ſentitur, ſeu alcalina, aromatica oleoſa, muriatica, ſeu purulenta, aliave ſit. Quippè non longè à ſe mutuò differunt ſymptomata, neque in curatione magnae diſſimilitudines adſint. Haec ſpecies febres omnes plus minuſve comitatur, ne exceptis pigris quartanis; atque in acutis, pro ratione velocitatis in ſanguinis curſu, ſaepè triſtes, nonnunquàm miros admodùm gignit effectus, inflammationes, ſcilicèt, fluxiones varias, ſuppurationes, dolores ſaevos, intolerabiles, imò gangraenas et ſphacelos inducendo aegrotis exitialis ſit. Ea autem non agimus: jam ſatis eſt iſtius acrimoniae conſuetae ſigna edere, quae calorem naturali majorem humano

corpori quotidiè inducit. His igitur indiciis sese prodit: tactu, scilicèt, calorem naturali majorem exhibente, et plerumque cum cutis siccitate; arteriarum pulsu frequenti et plerumque debili; sorditie linguae, orisque foetore; artuum et membrorum sine aliâ causâ lassitudine; somno difficili, inquieto; iracundiâ praecipiti; sanguinis missi mole imâ, rubrâ nimis, solutâ, tenui, minùs cohaerenti; urinâ putridâ aut citò putrescente; doloribus pungentibus, aculeatis, tam vagis quàm fixis, et nisi alia etiam adfuerit causa, plerumque sine tumore; tempestatis denique futurae, quoad calorem aut frigus, sensu mirum in modum praescio. Haec acrimoniae species febri hecticae affinis est, et eodem ferè modo curari debet; ab eâ tantùm dignosci potest, eò quòd febris, verè hectica dicenda, semper putredini partis alicujus tribuenda est, quam certo ac cito pede subsequuntur horrores vagi sub vesperam plus minusve recurrentes, quos dein fervore febrili urget calor, cui crastinâ aurorâ succedit

ſudor, criſis cujuſdam aemulus; haec autem ſymptomata apud aegros acrimoniâ praedictâ tantummodò laborantes nuſquàm reperiuntur. Sanatur eodem ferè modo, quo febris hectica curari debet, niſi quòd his praeclaram opem non rarò adferre ſolent aquae purgantes, quales ſunt aquae Scarburgenſes, de Cheltenham, &c. alinque medicamenta, quae humores diluunt, refrigerant, et alvum lenitèr ſolvunt. Haec tamen medendi ratio phthiſicis, et genuinâ febre hectica laborantibus exitialis foret; ad reliqua autem quod attinet, curari debent victu blando, aquoſo, ſubacido, maximè ex ſeminibus farinoſis, fructibus horaeis, medicamentis acidis, diluentibus, obtundentibus, quiete corporis et animi, omnibuſque acria ſalina, et oleoſa calida attemperantibus; cujus generis ſunt ſucci taraxaci, lujulae, et vegetabilium antiſcorbuticorum ſubacidorum, &c. In his autem omnibus exhibendis cautè perpendere oportet ſtomachi et inteſtinorum conditionem et habitum;

eaque remedia, licèt minus apposita, prae caeteris eligenda, quae iis et aegroti temperiei quàm maximè congruant.

374. Si infantibus rachitide laborantibus herpes superveniat, maximè prodest.

375. Infantes rachitici dicti arterias carotides, venasque jugulares justo majores habent.

376. Spina ventosa dicta, à rachitide orta, maximis doloribus comitatur; à luc autem venereâ nodos cum tumoribus habet.

377. Quò magis scirrus inflammatur, eò pejor cancer. Pessimi sanies, tenuissima, cum magno pruritu et dolore, fundunt.

378. Plethora accidit maximè in aetate mediâ, et ferè semper iis, quibus truncata

truncata fuerunt membra. His autem indiciis cognosci potest, scilicèt, arteriarum pulsu forti et pleno, corporis habitu sanguinis abundantiam denuntiante; aegritudine ingravescente; et respiratione anhelâ, ex calore aut corporis exercitatione quàm minimùm auctis.

379. In doloribus ex vulnere natis, animadvertendum est praecipuè, an dolor ex re aliquâ in eo haerente, vel ex nervis tendinibusve punctis aut semidiscissis oriatur; haec ex suis certis propriisque signis cognoscenda sunt. Si verò partes corporis à vulnere aliquantò diffitas occupet dolor, à nervorum nexu subsidium petendum est.

380. Cùm mulierum mammas, ex scirro malè se habentes, abscindere necesse fuit, hujusmodi aegrae ex pure resorpto tabi maximè sunt objectae.

381. Variolarum morbus plerumque in duas species, discretam, scilicèt, et confluentem

confluentem distinguitur; quo more quaestum ad pustularum eruptionem, suppurationem, et decessionem spectat, accurate à peritissimo Sydenham describitur. Meâ tamen sententiâ, ratione praxeos ulteriùs distingui debet, et revera septem ad minimum species in se continet. Hae species sunt, primò, discretae benignae; secundò, discretae malignae, seu mali moris; tertiò, confluentes benignae; quartò, confluentes mali moris; quintò, confluentes chrystallinae dictae; sextò, ista confluentium species, seu temperies quam gangraena consequitur; septimò, verrucarum potiùs quàm pustularum more erumpentium: haec species dura manet, et non aut saltèm difficulter suppuratur; adeò tamen rara est, ut ultra duo exempla me vidisse non memini; et aegroti ambo perierunt; neque de aliquo, hâc specie graviter affecto, ad sanitatem reducto audivi exemplum.

382. Symptomata, primam et tertiam variolarum speciem comitantia, adeò clarè

à Syden-

à Sydenham describuntur, ut aliâ non opus est enarratione, ideóque pauca quaedam de caeteris mihi notanda supersunt. Imprimis, discretae malignae à benignis distinguuntur, febre magis acutâ eruptionem praecedente, praecipuè dolore capitis multò magis saevo, oculorum rubore, cutis siccitate, arteriarum pulsu celeri et duro. Eruptis autem pustulis, licèt mitescant symptomata, non cessat febris, sed linguâ fuscâ vel nigrâ, et vigiliis, inquietudine, levi phrenitide, aut delirio subindè recurrente, excruciatur aegrotus, qui circa tempus abscessûs, quintum vel sextum, scilicèt, ab eruptione diem, gravi more, summâ inquietudine, delirio, phrenitide, vel nervorum distentionibus, spasmis dictis, vehementèr et omni modo excruciari videtur, et non rarò morte parùm expectatâ medicum incautum fallit. Praetereà notandum est, quòd haec species citiùs erumpit quàm benigna, plerumque die tertio, et seriùs suppuratur. Materies etiam pustularum magis tenuis est, et ferè sa-

nioſa,

niosa, nec aequè ac in benignis pus blandum refert.

383. Haec species iterum in duos ordines non immeritò dividi possit. Eorum primus ponit tantùm inflammationis gradum majorem, quàm qui benignum comitari debet, et qui pro ejus curatione postulat tantummodò omnium rerum et medicamentorum administrationem perattentam, quae calorem plus justo fervidum satis attemperare, et (uti decet) minuere valeant. Ubi itaque res ita se habeant, si post variolarum eruptionem, maneant febris acuta, dolor capitis, pulsus durus, vigiliae, aliaque inflammationis nimiae signa, mittendus est sanguis, praecipuè si ante eruptionem non omninò, vel parcâ nimis manu detractus fuit, ut frequentissimè evenit; et vesperi immittatur clyster diluens et refrigerans, qualis est sequens: ℞ decocti hordeac. unciae octo, salis prunell. drachmam unam. m. et si alvus simul leniter subducere conveniat, dein addendum est manna

manna vel electarii lenitivi parum. Ordo autem ſecundus ſymptomatibus putridae ſanguinis craſi appropriatis ſociatur; qualia ſunt dolor capitis, ſtomachi nauſea et quaſi aegritudo, virium debilitas, pulſus frequens admodùm et debilis, ſyncope, ſuſpiria, animi deliquia, alieque ſimilia, quae febrem mali moris hanc variolarum ſpeciem comitari deſignant. Curandus autem eſt hic malignarum variolarum ordo, eâ ratione, quâ poſtulent vires vitales, ſcilicèt, ſi urgeant debilitas nimia, nauſea, et aegritudo, &c. exhibendo imprimis medicamenta vomitoria, deinceps cardiaca, et admovendo veſicatoria ſuccurrendum eſt aegroto; ſi urgeant vigiliae et inquietudines, danda ſunt anodyna; ſi plus quàm par eſt vigeat febris, augenda eſt acidi copia, quod vel cardiacis lenibus, vel refrigerantibus et obtundentibus commiſceri poteſt; ſi clauſa nimis ſit alvus, injiciendus eſt clyſter, prout res exigant: quo rejecto ſtatim detur anodynum; ſi nimis fluat alvus, hauſtum ex electario è

ſcordio

ſecordio et ex decocto albo pro re nata bibere oportet; non tamen prorſus ſiſtenda eſt alvus, ſed adeò moderanda, ut vires non exhauriat. Interea omnibus aegrotis concedi debet liquidorum lenium antiſepticorum, et ſymptomatibus demulcendis aptorum copia, cum non ſtrictè contra variolas, ſed contra febrem malí moris pugnandum ſit.

384. Confluentes malignae iiſdem ſub initio ſtipantur ſymptomatibus, gravioribus tamen quàm confluentes benignae. Adſunt enim plerumque pulſus durus, et arteriae quaſi arctè aſtrictae ad tactûs ſenſum; ſanguis poſt acceſſionem miſſus, perindè ac in dolore lateris acutiſſimo ſeſe prodit, urgent immanis vomitus, capitis, dorſi et lumborum dolor ferox, delirant plerumque, et vel phrenesi corripiuntur, comate premuntur, vel inquietudine perpetuâ vexati, aſſiduè ſe per lectum commovent hujuſmodi aegroti. Erumpunt etiam puſtulae plerumque die ſecundo, vel inter hunc et

tertium, nisi ex gravi quodam symptomate, fibrarum compagem admodùm constringente, per horas aliquot retineantur: quale est dolor maximè acutus, rheumatismi vel pleuritidis more aegrotum excrucians. Pustulae à primâ eruptione se mutuò, praesertim verò in facie, tangunt, quae paucis diebus speciem pergamenae faciei agglutinatae prae se ferunt. Hujus autem speciei rarò ante diem decimum sextum vel septimum certus est terminus, saepissimè verò moriuntur aegroti, priusquàm ad hoc tempus perveniunt; imò ultra vicesimum diem aegros hosce vitam protraxisse novi, et tunc demùm deformes admodùm morte obiisse. Dum morbus cursum suum peragit, desquamatur faciei et pustularum color albus, et in fuscum, penè nigrum, mutatur. Nonnunquàm pustulae, scalpello apertae, vix ullam in se continent materiam; in aliis autem aegris tenuem saniem, nunquàm in legitimum pus maturandam. Impossibile est ipsum diem criticum in hâc specie

determinare, quippè pro ratione mali et regiminis praecedentis variatur. Hoc verò obſervatu non indignum eſt, quòd eo tempore, quo in facie cruſtâ obduci incipiant puſtulae, ad ſummum attolli debent puſtulae in manibus pedibuſque ſitae; quod ſi non fit, aegroto ſuccurrendum eſt, alitèr peribit.

385. In confluentium malignarum curatione, ſi à primo inſultu, pedibus in balneâ tepida demiſſis, et ſanguine è brachio miſſo, non obſtantibus, impetu nimio ferri videatur febris, eruptis prorſùs variolis, repeti debet ſanguinis miſſio, quae, ſi urgeant vigiliae, è ſaphaenâ prae caeteris educenda eſt, hauſtuſque acidos et antiphlogiſticos dictos, cum ſpiritu vitrioli prae caeteris acidis commiſtos, tertiâ vel quartâ quâque horâ aſſumere, ſimulque alvum ſolubilem, clyſterum emollientium ope quotidiè immiſſorum, habere debet aegrotus. Ventris fluxus autem nequaquàm excitandus eſt, quippè hujus vi nimis exſiccatur ſanguis, nimiſque

misque debilitatur aeger; imò saepè ab acri materie adeò excoriata fiunt intestina, ut insanabile aliquandò excitatur malum: hoc verò nisi in morbi decessione raro contingit.

386. Saepissimè accidit, quòd in fine variolarum confluentium largo ventris fluxu per plures dies corripitur aegrotus, qui nisi vires nimis exhauriat, sinendus est, et jusculà leniissima mucosa frequentèr exhibere convenit, quorum usu intestina contra vires materiae acris et corrodentis muniantur, qualia sunt jusculà vitulina, aliaque nutrimenta, quae mucosà abundant materiâ. Sin autem tali copiâ fluat alvus, ut nimis debilitetur aeger, cohibendus est fluxus ventris intra limites idoneos.

387. Interea quàm maximè perpendenda sunt hujus morbi secundum ejus gradus tempora, quibus se prodeant debilitatis signa, an, scilicet, eo tempore, eoque gradu tantùm se ostendant, quo

brevi ex morbi naturâ et increſcente inflammatione ſponte levamen praebebit natura, an non. Verbi gratiâ, ſi hujus morbi initio arteriarum pulſus debilis ſit, aegerque languidus, et ſuſpirioſus prae nauſeâ aut aegritudine fuerit, non ſtatim ad cardiaca confugiendum eſt; quippè ex inflammationis ſtimulo ſe ſanguinis curſu humoribus commiſcente, nervoſque irritante, fieri alitèr non poteſt, quin ipſa natura ſuo tempore talia ſubmovebit ſymptomata, et proindè medicamenta cardiaca non exhibenda, ut mos plerumque eſt ad hujuſmodi ſymptomata tum praeſentia levanda, niſi re ipsâ neceſſitas urgeat; alitèr iſte medendi modus paulò poſt in incendii cumulum accedet. In morbi autem progreſſu, et praecipuè ſub deceſſione, alia res agitur; quippè reverà exhauriuntur aegroti vires vitales, et cardiacis appropriatis ſtatim et ſedulò reficiendus eſt aeger, et ſi haec non ſufficiant, ſimul admovenda ſunt veſicatoria nuchae, vel brachiis, tibiiſve, prout poſ-

tulent

tulent ſymptomata *. Per totum hujus morbi decurſum ſedulò obſervandum eſt, ut nunquàm pituitam concreſcere ſinat medicus, ſed, pro ejus copiâ et qualitate glutinosâ, fauces plus minus frequentèr gargarizare convenit; imò aliquid de gargariſmis emollientibus, detergentibus, antiſepticis, ſyringis ope in os et fauces cautè injicere omninò neceſſe eſt.

388. Vult Fuller, irritis aliis, ſpongiae fruſtulum tenui ceti pinnae affixum, et oleo olivarum aut amygdalarum imbutum in gulam immitti debere; cujus ope in ventriculum intrudatur pituita, et leventur gulae et fauces; undè miros effectus ſe vidiſſe aſſerit. Hoc quidem non tentavi; nimiâ enim et ſaevâ difficultate comitatum fuit hujuſmodi auſum crudele, ob magnam faucium angustiam, qui ſaepiſſimè tumor ſummum

* Exemplum ſingulare ad hanc rem pertinens dedi in Ricardi Mead Monit. et Praecept. lib. ii. p. 258.

dolorem

dolorem afferens ſeſe comitem adjungit; et reverà rarò, ſi unquàm, ſolâ pituitâ pereunt aegri, niſi ex vi febris, anodynorum uſu nimio, vel gargariſmorum defectu, eam nimis craſſeſcere improvisò conceſſum fuerit. Cùm anceps remedium in hoc triſti caſu experiendum eſt, potiùs quàm nullum, tentari mereatur haec medendi ratio: attamen huic auctori non ſempèr habenda eſt fides; ſiquidèm ſe medicamenta et remedia ſua laudibus nimis excelſis celebrare planè conſtat.

389. Quinta ſpecies variolarum confluentium, quam cryſtallinam appellârunt medici, eſt morbus, in quo puſtulae temporis progreſſu plurimùm tument, et in tot veſiculas tenuiſſimâ membranâ cinctas, et perfectè pellucidas, attolluntur, quae ſcalpello apertae humorem aquoſum tenuiſſimum eructant. Haec ſpecies prioribus longè rarior eſt, et, quantùm ipſe vidi, minùs mortifera. In his enim omnibus aegrotis, qui mihi contigêre, efſluxit

fluxit ſaliva tenuis, quae ad extremum duravit; imò unum novi, cui poſtquàm convaluiſſet, per aliquot ſeptimanas, adeò obſtinata obtinebat ſalivae fluxio, ut ejus ſanatio demùm non ſine deditâ operâ fieri potuerit. Haec ſpecies curationem à benigno confluentium ordine parùm diverſam poſtulabat; in iis autem agrotis, quos mihi inviſere contigit, pulveres cinnabarinos, bis vel ter die per totum morbi curſum exhibitos ſalivae fluxum magis efficacem utilemque reddere credidi. Quaeri itaque meritò poteſt, an mercurius alcaliſatus, exiguâ copiâ cum antimonio diaphoretico quotidiè datus, qui ad proritandam ſalivam proculdubiò cinnabari potentiùs movet, et qui aliis medicamentis, argenti vivi vires poſſidentibus, naturâ ſuâ lenior et blandior eſt, neque ſalibus quibuſcunque, qui inteſtina ſtimulare nimis apti ſint, confectus eſt, in aliis etiam ſpeciebus ad ſalivae fluxum protrahendum cum fructu exhiberi poteſt; et praecipuè in iis morbi gradibus, quibus caeteris minùs aeſtuet

febris,

febris, nempè eo morbi tempore, quod eruptionem immediatè ſequitur. Notatu autem non eſt indignum, quòd in hujus ſpeciei curatione, exinanitiones per alvum non aequè ferunt aegroti, ſaltèm dum tenuis et liquida maneat materies, ac in aliis ſpeciebus; quippè ſub infirmo et debili nimis corporis habitu, materiae hujuſmodi liquidiſſimae reſorbendae negotium ex facili fieri poteſt. Jam enim mihi redit in mentem, me ex lecto ſuſcitatum fuiſſe, ut ad aegrotum adirem, in quo ad ſummum apicem tumidae fuerunt puſtulae, nec non et ſymptomatibus ſociatae, ut mihi narrabant adſtantes, quae totam rem in vado ponere videbantur; attamèn immiſſo ex lacte et ſacharo leniſſimo clyſtere, alvus bis vel ter circitèr liquata fuerat, illicò hâc exinanitione confectâ, ſubſidebant puſtulae, et irritis omnibus auxiliis haud ita multò pòſt mors inopina aegrotum abſtulit.

390. Sextam variolarum confluentium ſpeciem futuram denunciant largae è

naribus, renibus, utero et pulmone haemorrhagiae, delirium, furor, coma vigil, phrenitis, oculi torvi, truculenti, lacrymas invitas demittentes, artuum et membrorum ferè omnium dolor, huc et illuc agitatio, et inquietudo quàm maxima. Talem verò post eruptionem adesse docent ingens numerus pustularum, maculae purpureae, spatia à pustulis libera occupantes, lingua nigra. Talem etiam denotat vividus cutis rubor in spatiis liberis, ostri colorem aemulans, quae digito compressa alba non fiunt, vel nictu oculi splendorem recuperant. Hi aegri se innumeris aciculis in omni corporis parte pungi conqueruntur, quod symptoma phrenitidem lethalem imminentem praedicere aliquoties observavi. Pari modo in ulteriori morbi progressu aequè malum gangraenâ sociatum portendunt pustulae liquore sanioso, fusco, aut sanguinolento repletae; subtùs enim latet gangraena, aequè ac in maculis purpureis. Hae maculae leves sunt et glabrae, et digito non sentiuntur, neque

more puſtularum ultra cutem porriguntur, ſtyloque acuto punctae parùm vel non dolent; apertis etiam ſcalpello ſubjecta cutis vel opaco rubore, vel colore ſubnigro ſe prodit. Malum hoc etiam denunciatur, ſi puſtulae à primâ eruptione plus juſto rubeant ſine apice albeſcente, vel purpureae fiant. Nec minùs in morbi progreſſu ſpecies haec deſignatur, ſi puſtulae anteà rubrae in locis quibuſdam, praeſertim in cruribus, fuſcâ, purpureâ membranâ, vel depreſsâ et non prominente obtectae fiant; intùs quippè latet ſanguis putris, naturali nigrior. Intereà omnia cautè circumſpicere debet medicus, ne illum decipiat, et in errorem periculoſiſſimum ducat iſta ſimilitudo ad hanc valdè accedens, orta tamen à vi ſolâ, ſub aegri effrenatâ inquietudine, puſtulis allatâ.

Omnes hae ſpecies plus minuſve in gangraenam deſinunt, et vix unquàm ad ſuppurationem protrahuntur, ſed moriuntur aegroti, priuſquàm morbus ad ἀκμὴν perveniat. Quod ad hujus ſpeciei

curationem attineat, cùm in ipso initio maxima datur inflammatio, comitante simul acrimonia acerrimâ, mitti in ipso initio debet sanguis, et pro virium et symptomatum ratione repeti. Videtur insuper requiri talis medendi ratio, ac putredinem hanc acrem et tenuem diluere et obtundere apta sit, cujus generis prae caeteris est sequens, quae tentari potest, licèt parum vel ab hôc aliove modo aut regimine adsit spei.

℞ Radic. Chin. sarsaparil. minutim concis. ā sescunciam, gum. Arab. pulv. radic. ginseng. ā unciam unam, lign. et cort. guaiac. rasi ā unciam dimidiam, aq. font. libras quatuor. Decoque ad libras tres, et liquore frigefacto add. aq. cinnamom. simpl. spirit. ā uncias tres, syrup. papav. erratic. uncias duas, spirit. vitriol. q. s. ut idoneum aciditatis gradum et saporem acquirat, m. f. apozema, cujus capiat aegrotus uncias tres tertiâ quâque horâ. Si admodùm inquietus sit, vice syrup. papav. erratic. substituendus est syrup. è

mecon. q. s. Quoad reliquam curationem, prout ſymptomata poſtulent, inſtituenda eſt medendi ratio, dando, ſcilicet, cardiaca, refrigerantia, obtundentia, anodyna, et id genus alia, pro re natâ.

391. Quò plures, in initio variolarum, et progreſſu morbi, idoneae inſtituentur exinanitiones, eò minùs, caeteris paribus, pituitâ glutinosâ vexantur aegroti: en exinanitionum beneficium frenatarum, nullo modo contemnendum!

392. Infantibus variolarum morbo correptis, qui pituitam exſcreare neſciunt, cautiſſimè exhibenda ſunt anodyna; imò niſi urgeat neceſſitas maxima, prorsùs omittenda ſunt: non paucos enim novi indè ſuffocatos. Hujuſmodi infantes convenit erectos, paulò autem deorsùm declinantes, tenere, praecipuè dum ſyringis ope immittatur gargariſmus, qui ſingulis horis repeti debet, ut pituitae pateat exitus.

393. Puſtulae,

393. Pustulae, quae in variolis, ex pedum plantis erumpunt, raro attolluntur ultra superficiem, praesertim si numerosae fuerint, propter cutis duritiam, et proindè ad latera serpunt, et dolores acres et vigilias imprimis efficiunt. Ad haec symptomata praecavenda prosunt fotus et cataplasmata emollientia, praesertim in initio, aut saltem post eruptionem admota; si verò his non obstantibus tempore abscessûs acutè doleant, eas stylo vel scalpello aperire, et unguento albo vel ex tutiâ ppto. cum olei lini q. s. in linimentum mollissimum subacto illinere utilissimum erit.

394. In omnibus variolarum speciebus malum adesse suspicari licuat, si febris, quae cum morbillis, petechiis, aliisque exanthematibus consociare solet, iis simul conjuncta sit; quippè altera datur incendii causa, neque inter se congruunt dies critici. Hi ferè omnes moriuntur aegroti.

395. Malum

395. Malum datur ſignum in variolis, cum puſtulae novae, ſuppuratis prioribus, vel ad ſuppurationem vergentibus, in ſpatiis liberis extrudantur. Hi enim valdè periclitantur, et plerumque moriuntur, praecipuè ſi numeroſae ſint novae hae puſtulae, vel puſtulae primae non ſint admodùm benignae.

396. Maximum periculum adeſſe ſuſpicandum eſt, ſi in primis puerperii diebus accedant variolae; ſit enim plerumque lethalis haemorrhagia ex canaliculis uterinis; vel ſi alitèr eveniat, tantâ copiâ effluit ſanguis, ut intùs recedunt puſtulae, et convulſae moriuntur puerperae.

397. In omni variolarum ſpecie, cutis tempore abſceſſûs, nempè eo morbi gradu, quo pure morbili ſcateat corpus, debet eſſe rubra, tenſa et inflammata in puſtularum interſtitiis; alitèr, majori, quàm fas erit, copiâ abſorbetur purulenta materies. Status autem contrarius, ſcilicèt,

licèt, cutis pallida et flaccida, habitum corporis inforbentem denunciat; eòque praecipuè, si simul accedat arteriarum pulsus debilis, inordinatus, et omni ferè modo inaequalis. Talis enim pulsus non parvam materiae purulentae copiam in sanguinis cursum jam transiisse, febremque malignam excitâsse ostendit, cui nisi brevi succurratur, morietur aegrotus. Dato itaque hoc statu inforbente, roborandum est corpus medicamentis et remediis cardiacis, vesicatoriis et id genus aliis, nullâ variolarum specie, nullo medendi modo praegresso obstantibus.

398. Si aeger variolis laborans subito dicat, devorare nequeo, plerumque intra tres vel quatuor horas vitam cum morte commutat; vel si dicat, suffocor, et anhelat et convellitur, magnum equidem malum adesse indicat.

399. In variolis semper benè perpendenda sunt symptomata, quae per totum morbi cursum obtinuerunt; haec enim

à pus-

à puſtulis ibi natis ortum ducunt: videlicèt, ſi delirium à morbi incepto ultra eruptionis tempus perſtet, puſtulas cerebri meninges obſidentes denotat; quod etiam de aliis oeſophagi, ventriculi, thoracis et abdominis affectibus intelligendum eſt.

400. In febris variolosae impetus pertimeſcendos cohibendo pulverem more ſequenti compoſitam et exhibitam caeteris omnibus remediis praeſtare iterùm et ſaepiùs inveni; quippè magnoperè calorem minuit, incendium extinguit, et putredini praeſertim repugnat. ℞ Salis nitri pulv. drachmas duas, cryſtal. tartar. pulv. drachmam unam, tartari vitriolati pulv. drachmam dimidiam, radic. glycyrrhizae pulv. drachmam unam, m. f. Pulvis in partes aequales octo dividenda, quarum pars una ſumenda eſt quartâ quâque horâ, addendo s. a. emulſionis ſequentis uncias quatuor ſingulis vicibus. ℞ Amygdal. dulc. pelliculâ demptâ unciam dimidiam, ſeminum cucumer.

cumer. melon. a drachmas duas, gummi Arabici s. a. soluti drachmas sex, sacch. alb. pulv. unciam dimidiam, contusis affunde sensim aquae hordeac. sesquilibram, aquae menthae simplicis uncias quatuor: misce s. a. ut fiat emulsio.

401. Copia salivae exscreandae in variolis, quae ex ipsâ materiâ glutinosâ tantum oriatur, sensim minuitur; ista autem hujus effluvii diminutio à febre acutâ increscente, vel à subitâ virium vitalium resolutione genita, ex improviso invadit.

402. Quò magis calidum est corpus humanum ad inferiora, eò plus deorsùm erumpunt pustulae: hinc satis patet usus ex applicatione fotûs vel cataplasmatis acris poplitibus et plantis pedum.

403. Haud raro accidit, cùm variolae ad summam magnitudinem pervenire videantur, aegrotum saepe et parùm min-

gere; quod ſymptoma delirium brevi adfuturum ut plurimùm denunciat; et oritur partim ex acrimoniâ puris in venas reſorpti, et non rarò vel à medendi modis nimis calidis praegreſſis, vel alvo in morbi progreſſu nimis aſtrictâ; ſed ex quâcunque causâ fiat (niſi eodem tempore fluat alvus) hanc clyſtere ſubducere convenit; idemque poſt aliquot horas, nempè octo vel decem, repetere, et dein anodynum exhibere, quorum ope, ſi neque miteſcat hoc ſymptoma, neque ulterior ejus progreſſus impediatur, ſed è contra frequentior fit, et praecipuè ſi adſit delirium, phrenitis, aut valdè vigeat febris, ad ſanguinis miſſionem confugiendum eſt. Notandum autem eſt, hoc ſymptoma rarò ultra morbi criſin extendi, et, niſi pravis comitatur ſymptomatibus, ſpontè ceſſare, et proindè impetratis induciis à clyſteribus, anodynis, diluentibus et refrigerantibus remediis, plerumque ſine ſanguinis miſſione evaneſcere.

404. Vult

404. Vult doctiſſimus Freind, aegrum variolis laborantem, et ad morbi criſin perductum, ſcilicèt, puſtulis cruſtâ obductis, purgari debere, ope aloeticorum et ſimilium acrium purgantium. Hoc meo judicio parùm tutum eſt; ſin verò multùm vigeat eo tempore febris, non prorsùs improbanda ſunt cathartica ex mannâ, rhabarbaro, et ſimilibus; finitâ tamen prorsùs vel ferè alvi ductione, anodynum appropriatum exhibere omninò neceſſe erit. In debilibus hujuſmodi aegrotis, tutiùs, ut me mea fert opinio, eſt ventrem clyſteribus lenibus purgare.

405. Omnis cancer, qui ſolus ſit, fiat tolerabilis; qui verò cum aliis communicet, ſcilicèt, glandulis inguinalibus, axillaribus, mammis et utero ſitis, peſſimus eſt.

406. Malignitas cancri, ut plurimùm ſeſe indicat à pruritu, dolore, morſu la-

cero, canaliculis varicosis, putredine, foetore, et praesente febre hectica.

407. In ulceribus, ea solùm in cancrorum numero habenda esse inveni, quae retorrida habent labia.

408. Si cancer in apicem assurgat, brevi ulcerosus evadet, et sanies omnia vicina corrodet.

409. Medicamenta, quae, mediante sanguinis cursu, sese ad partis alicujus singularis laesae, aut malè se habentis, aut modò dictum est *, levationem admovere, et quasi applicare à jactatoribus suis dicuntur, ex fraude, fallaciis et mendaciis constare invenientur. Praeterea, quod in dies oleum camino addit, est genus quoddam tyronum, qui ex chirurgorum officinis, nonnunquam ex pharmacopolarum tabernis, prosilientes, se medicorum primos esse dicunt. Indocti tamen, quanquàm Hippocratem aut Celsum nunc simulare, nunc (animis in

* Sect. 405, 406, 407, 408, &c.

nova

nova ferentibus) ſponte damnare, haud metuant, empiricen in ſummum periculum deducere tantùm valent. Eheu, vos miſeri, quibus intentatum niteat empiricorum hoc genus omne! geſtit enim nummum in loculos demittere, poſt hoc ſecurum, an aegroti, credulitate ſtultâ praeproperè rapti, rectis ſtent talis, cadantve *.

410. Ipſam medullam curſum quendam currere liquet, quippè cervi abſque venatione enecti oſſa habent medullae plena; venatione verò agitati, in oſſibus non habent medullam, ſed tantùm fan-

* Medicum quendam hujus (ut mihi videtur) farinae facetè ad hunc modum depinxit poeta:

'Mongſt gilded books you ſqueeze
Old Galen and Hippocrates:
For ſuch learn'd men (ſay you) as theſe
I'll ſtickle;
Though what they were you can't tell,
Giants they might have been as well,
Or the two archangels Gabriel
And Michael.

Radcliff's Ramble.

guinem

guinem oleosum: ideóque medullam generari, regenerari et consumi patet. Hinc itaque oriri possunt inflammatio et putredo in periosteo externo, interno, osse ipso, et medullâ, quae quò profundiores, eò pejores.

411. Experimentis latè patet, et ad quamplurimos homines pertinet, quòd morsus ictusque venenati, antidotis parti affectae statim admotis, sine alio medendi molimine, citò et felicitèr sanari possint. Hoc ab ictu scorpionum liquet, cujus antidotum est ipse scorpio oleo olivarum infusus, quo partem ictam illinunt Italici; et hujusmodi vulnerati ab omni veneni malo indè adventuro muniti et certè sanati evadunt. Pari ratione qui viperas in usum pharmacopolarum colligunt, referente expertissimo et doctissimo Mead, quoties earum morsu afficiuntur, statim axungiâ viperinâ partem affectam illinunt, et è certo sanantur. Hujus exemplum in felibus quibusdam à vipertis morsis ipse vidi, qui omnes brevi extincti

extincti fuêre, eo ſolo excepto, quem linimento ſuo illinebat artifex circumforaneus, licèt iſti feli aliis multò magis inflicti fuiſſent viperae morſus. Arcanum autem ſuum ſeu linimentum quantùm inſpicere et animadvertere potui, fuit tantùm oleum inolentis olivi naturam prae ſe ferens, quo ad focum illinebat partes morſas. Hoc in memoriam meam retulit, quod alicubi anteà legeram, videlicèt, olivum aequè tutò per ſe ſcorpionis ictum ſanare, ac ſi ſcorpio incluſus et infuſus in eo fuerit, et proindè eſt ei, undè blandâ oleosâ ſuâ indole veneni noxia ſpicula obtundi, et innoxia reddi queant. Meritò itaque ſuſpicari poteſt, an hujus artificis oleum, quo ſanata erant felis vulnera plurima et profunda, ut ſupra dictum fuit, viperae morſibus inflicta, non fuerit hujuſmodi generis et naturae; ſaltèm ulteriùs experiri meretur ob facilem et prorſus felicem exitum. Reverà enim admodùm veriſimile eſt, alios etiam morſus, ictuſque venenatos, ejus ope ſanari poſſe, modò in his effectus adeò fauſtos edat.

412. De

412. De venenis benè ſcripſit Boerhaave titulo Antidotorum, N° 1119 Inſtitutionum ad 1145; in quibus varia venena in ſuos ordines reduxit, unà cum medendi propoſito, quod hic transferre operae pretium non erit, ideóque mihi pauca tantùm addenda reſtant. In his itaque curandis, primò perpendendum eſt, an talia ſint, quae in ſtomachum et inteſtina vires ſuas corrodendo vel inflammando exerere ſolent, qualia ſunt arſenicum, mercurius ſublimatus, aliaque ſimilia; vel an ejus ſint generis et naturae, ut, his nequaquàm laeſis, in ipſum ſanguinis curſum vehuntur, ibique tragedias ſuas exercent; ut opium, &c. In primo caſu, ſi ſtatim advocatus fuerit medicus, aquâ communi tepefactâ et largiſſimâ copiâ exhibitâ, excitetur vomitus; dein clyſteribus, ex infuſo ſeminum lini cum aquae ſatis fervidae q. s. parato, adjectâ ſimul ſacchari ruberrimi q. s. confectis et frequentiſſimè immiſſis eluantur inteſtina, ut à veneni ſpiculis, quantùm

quantùm fieri poteſt, muniantur. Poſtquàm autem vomitum ceſſare neceſſe ſit, clyſteribus tamen uti oportet. Tenienda eſt haec medendi ratio per dies aliquot, ſcilicet, donec tum profligetur dolor, tum muco ſuo affuſo ſatis ab omni acrimoniâ defendantur et tueantur ventriculus et inteſtina. Denique in votorum ſummam proficiet, ut medicamentis, ſeu ſulphureis, ſeu ferrugineis, prout opus fuerit, ad priſtinam ſuam ſanitatem revocata ſint viſcera.

In ſpecie ſecundâ perpendendi ſunt effectus, quos veneni aliquid, quaſi in corporis gremio, malo omine acceptum, in ſanguinem aut humores edat, et pro horum ratione curatio inſtituenda eſt. In horum autem omnibus, vomitorium ſtatim devoratum, priuſquàm altiùs ſerpſerit malum, exhibere commodiſſimum eſt. Hujuſmodi venena plerumque ſanguinem in coagulum coire faciunt, ex quo fiunt talia impedimenta, qualia ſanguinem aut humores libero curſu ferri non ſinunt; quod incommodum

pulmo ſubire et perpeti imprimis ſolet. In hujuſmodi autem ordine et ſerie locandae ſunt res valdè acidae et auſterae, vinorum omnium partes puriſſimae ab aquoſis ſeparatae: haec omnia ſanguinem coagulant, ſi immediatè in ipſius curſum admittantur, quod rariſſimè fit; eorum autem devoratio, quamvis digeſtione mediam ſe interponente, pallorem, leucophlegmatiam et cachexiam inferre valebit. Injuriae, quae ex hiſce cauſis oriuntur, vix aut ne vix quidem ſanandae ſunt propter celerrimas caedes, quas humano corporis habitu ſecum adferunt hujuſmodi hoſtes, ſi quandò illis impetus ſuos funeſtos in ſanguinem exerere conceſſa fuerit poteſtas.

413. Ad venenorum inebriantium ordinem meritò referrendum eſt opium, quod ſanguinis craſin ſolvendo, adeò humores extenuatos facit, ut indè, vel rumpantur quaedam ex arteriis aut venis, vel inflatione turgidâ nervi adeò opprimantur, ut functiones ipſis propriae

prias exequi nequeant; in his itaque, nec non et ebriosis, etiamsi debilis sit arteriarum pulsus, largâ copiâ mittendus est sanguis, dein propinandum vomitorium, maxime si nuper devoratum fuerit opium, vel vini spiritibus largâ copiâ oneretur ventriculus, alvusque posteâ medicamentis diluentibus caloremque attemperantibus ducenda est; vel, his non sat citò respondentibus, clysteribus acribus cienda et subducenda.

414. Animalia ventriculo aut primis viis hospitantia medicamentis ex hydrargyro confectis, remediis ferrugineis, vitriolicis, amaris catharticis similibusque foràs exterminanda sunt.

415. Si ad morsum à cane rabido factum statim vocatus fuerit medicus, ferro candenti inurendum esse locum curaret; aut si hoc fieri nequeat, admovendae sunt cucurbitulae cum scarificatione profundâ, nec per longum tempus, nempe, per sex septimanas consolidandum est

vulnus; quin pro re natâ mercurio praecipitati unguento basilico flavi q. s. commisto, aut similibus, apertum servandum est, et perpetuò panuis muriâ ex sale et aceto humidis involvendum, modò talia fieri fuerint partis ipsius natura et conditio. Si verò ante medici adventum consolidatum esset vulnus à morsu factum, profundis scarificationibus eam corporis regionem tundi, et praedicta fieri oportet. Hoc semper sedulò observandum est, quòd qui à cane rabido morsi sint, semper bonâ spe integrae sanationis consolandi sunt, quasi parum vel nihil periculi esset; interim tamen, omnibus rebus curandum et providendum est, ne imminens malum accidat. Territi enim inquieti fiunt, et tum animum tum corpus turbando, sortem miseram adaugent, et citiùs ipsum morbum horrendum in se inducunt.

416. Dissectio cadaverum à morsu canis rabidi docuit partes devorandi munere fungentes plerumque inflammatas, glutinosam

glutinoſam, biliosamque materiem in ſtomacho obtinere, veſiculam fellis atrâ bile plenam, pericardium ſiccum, pulmonem, coacervato omni ferè ſanguine, incredibilitèr farctum, cor ſanguine ſæpè ferè ſiccato plenum, arterias plenas, venas verò vacuas, ſanguinem adeò valdè extenuatum, ut frigore vix concreſcere queat, licèt è venâ miſſus ante triduum longè ſecùs ſe haberet, omnes muſculos, cerebrum, cerebellum, ſpinalem medullam, et viſcera ficciora, quàm ita ferent naturae leges.

417. Aegrum, qui ex morſu canis rabioſi aquae metu cruciatur, aurium tenus nec opinantem in aquam frigidam immergere à multis, præcipuè à Celſo et Boerhaave tanquàm unicum, ſaltèm ſummum remedium, laudatur. Exitûs tamen felicis adeò rara ſunt exempla, ut incertum prorsùs habendum eſt, quò res caſura ſit. Refert enim Sidobre in ſuo tractatu de variolis hiſtoriam ruſtici cujuſdam, in quem tanta copia aquae in-

jecta

jecta fuit, ut eam non amplius timeret, sed libenter aquam devoraret, imò postquàm se aegrè et iniquo animo in piscinam projici crebrò passus fuerat, sponte in eam descenderet; his autem non obstantibus, morbo ex morsu canis rabiosi gemino succubuit. Quid itaque faciendum est, non satis adhuc liquet.

418. Cùm autem in febre à morsu canis rabidi confessa res est, id ad primam intentionem pertinere, ut aeger invitus aquâ satietur, simul ut omnia sibi ipsi inducenda sint, perindè ac quae in febre inflammatione maximâ comitatâ fieri solent, mihi herclè magis congruere inter se et cum naturâ morbi visum est, ut parùm tepescat aqua, praecipuè si ei addatur aut acetum, ut acidula evadat, aut salis nitri q. s. Hoc autem conjecturâ augurari aut consequi mihi tantùm in animo est; et proindè qui hâc medendi ratione uti velit, ut parùm admodùm tepescat aqua, ne veneni rabiosi contagio latiùs serpat, imprimis animadvertere

vertere debet, ſaltèm donec quid indè eveniendum aut expectandum eſt, clariùs innoteſcat.

439. Curatio, quae poſt prima ſigna invadentis mali, mihi maximè congrua videtur hunc in modùm tentanda eſt, videlicèt, mittatur ſanguis ex brachio aut venâ jugulari, ad animi deliquium, et elapſis decem vel duodecim horis, eodem more repetatur, immiſſo quartâ quâque horâ clyſtere ſequenti. ℞ Lap. prunel. pulv. drachmas duas, acet. vin. mel. deſpumati ā unciam unam, aquae rutae vel levis infuſi ejuſdem uncias decem, miſce. Perpetuò etiam foveantur praecordia ſpongiis hôc vel ſimili fotu madefactis. ℞ Fotûs ad inflammationes in Pharmacopeiâ Fuller praeſcript. libras tres, aceti diſtillati libram unam, ſalis ammoniac. vel gemmae unciam dimidiam, ſpiritûs vini tenuis uncias quinque: miſce pro fotu. At ſi libere nequeat aeger, exhibendus eſt ſecundâ vel tertiâ quâque horâ bolus hicce. ℞ Sal. nitr. pulv.

drachmam

drachmam dimidiam, ſpermat. ceti grana decem, conſervae fructûs cynoſbat. vel lujulae drachmam unam, ſyrup. caryoph. rubr. q. s. m. f. s. a. bolus. Die ſequenti, ſi pergat rabies, repetatur iterùm miſſio ſanguinis eodem more et modo ac pridiè, praecipuè è ſaphaenâ, vel potiùs ex arteriâ temporibus ſitâ, quod prae caeteris in hoc malo curando mihi fore utile videtur; et perſiſtendum eſt uſu clyſterum et reliquorum praeſcriptorum. Si autem ad tertium uſque diem obtineat malum, inſanabile plerumquè erit; tentari tamen poteſt curatio iiſdem pergendo, et repetendo ſanguinis miſſionem ex arteriâ, cujus rei mentio jam facta eſt, admotis eodem tempore veſicatoriis, ſi vacillare videatur pulſus. At, heu! rarò ultra quartum diem ſuperſtes eſt quiſpiam, cui infeliſſimè contigit, ut rabie caninâ, viſu dictuque maximè horrendâ, corripiatur.



INDEX.

INDEX.

A

ABORTUS causae ferè infinitae, sect. 345-v. Gravidae.
Abortum denunciat ab ipso utero haemorrhagia larga, 346
Acida acrimonia, 128. 173
——— humorum temperies, 191
——— quomodò curanda sit, 191
Acida qui appetent, 134
Acido laborantes, 129
Acrimonia, 128. 173. 193
——— acida, 128. 173
——— alcalina, 173
——— calidâ temperie praedita, 373
——— febres omnes comitatur, ib.
——— quibus signis se prodit, ib.
——— febri hecticae affinis est, ib.
——— quomodò sanetur, ib.
Alvus astricta, 70
Anodyna infantibus tutò exhiberi possunt, 370
Angina, 16. 246. 250. 253. 255
——— conspicua 253
——— in quâ devoratio fit impossibilis, 256

Angina quae in morbis hyſtericis, &c. contingere ſolet, 255
——— lethalis, 249
——— paralytica, 254
——— pituitoſa, 251
Anginae curatione quae ſunt vitanda, 85
Animalia in ventriculo hoſpitantia, 414
——— quomodò exterminanda ſunt, ib.
Anthraces, 139
Antidotum contra morſus venenatos, 411
Anxietas, 12, 13. 303
Aphthae in febribus, 183
——— quales obſidere ſolent, 330
——— quas partes plerumque occupant, 331
Apoplexia, 88, 89, 90. 178
——— dignoſcitur à morbo comitiali, &c. 238
Apoſtema, 250
Aquae minerales quandò noceant, 96
Argentum vivum fortiſſimum medicamentum, 143
Argenti vivi frequens uſus noceat, 123
Arquatus morbus febri ſuperveniens, 119. v. Icterus.
Arſenicum, 412
Arteriarum in morbis diverſis poſt mortem conditio diverſa, 142
Aſthma, 26
Atheroma, 156
Atrabilarius humor, 181. 241
Attonitus morbus, 89, 90. v. Apoplexia.
Aurea regula in melancholicis tractandis, 257
Aurium dolor, 252

B

Balnei frigidi uſus, 61. 224
—— —— quandò noceat, 93, 94. 224
Balnea tepida, 224. 306. 309
Bilis defectio, 51
Bilis ſanguine miſta, 290
Boerhaave de glutinoſo inerti, 130. 195
—— laudatus, 195
—— de peripneumoniâ, 264, 265. 268
—— de pleuritide, 265
—— de morſu canis rabioſi, 417
—— de venenis, 412
Bubones, 139. 161

C

Calculus, 191. 310—321
—— quandò non tranſit, 311
—— vomitu comitatus, 310
—— urinæ acrimoniâ comitatus, 372
—— veſicae quibus ſignis cogniſcitur, 313
—— manens in veſicâ quae infert mala, 314
—— quomodò forſitan expelli poſſit, 315, 316
Calculi in veſicâ latentis ſignum fallax, 310
—— impetus pro dolore colico nonnunquàm habetur, 316
—— —— quomodò à dolore colico diſtinguatur, ib.
Calculi albi minùs friabiles ſunt, 319
—— cinerei minùs facilè exeunt, ib.

Calculi caerulei maximè omnium metuendi, 319
Calculo laborantes pedes inter ſe implicare ſolent, 321
——— pudenda externa haud rarò habent inflammata, 372
Calor hecticus, 171
Cancer quomodò levandus, 190
——— quibus indiciis cognoſcatur, 190
——— à ſcirro oriundus, 187, 188
——— in inteſtinis, 189
——— eò pejor, quò magis inflammatur ſcirrus, 377
——— cùm ſolus eſt, fiat tolerabilis, 405
——— quandò ulceroſus evadit, 408
Cancri malignitas quibus ſignis ſe indicat, 406
Cancroſa ulcera quomodò ab aliis dignoſcenda, 407
Canis rabioſi morſum medendi ratio, 415. 418, 419
——— à morſu cadaverum diſſectio, 416
——— contra morſum remedium à Celſo & Boerhaave laudatum, 417
Capitis dolor, 17. 200
——— vulnera, 18. 152
——— vulnerum ſymptomata mala, 153
Caſtra ſtativa in campis humidis quibus malis praecipuè expoſita, 83, 84.
Catharſis in pleriſque doloribus febre comitatis inſtituenda eſt, 294
——— poſt febres inſtituenda, 101
Cerebri malè affecti ſymptomata, 205, 206. 229. 232, 234
Chinenſes medici quomodò morbum comitialem ſanari poſſe credunt, 239
Chirurgorum error, 144

Chirurgia quali inveſtigatione promoveri poſſit, 318
Chylus per pulmonem difficilè tranſiens, 303
Clyſteres in morbo attonito, 89
——— quandò noceant, 104
Colica hyſterica quomodò cognoſcatur, 336
——— quomodò tractanda ſit, 293
——— biliosa, 293
Colici dolores, 283. v. Inteſtinorum et Ventriculi dolores
Collyria vel nihil vel malum efficiunt, 223
Color cutis flaveſcens, 132
Coma vigil, 178. 238
Comitialis morbus, 88
——— dignoſcitur ab apoplexiâ, &c. 238
Concretiones polypoſae, 11
Convulſiones, 1, 2, 3. v. Nervorum diſtentiones
Contuſio, 154
Corporis extenuatio, 196
Cortex Peruviana quandò profit, 115. 227
Criſis quid ſit, 47
Crura quandò ſunt coarctanda, 296
Cutis exſiccata quid denotat, 72
——— flaveſcens, 132

D

Delirium, 179. 207. 229. 232, 233
——— quandò opio levari poſſit, 237
Dentium ſtridor in phrenitide quid indicat, 235
Devorationis munus moleſtum vel impoſſibile, 244, 245. 247, 248. 250. 256
Diabetes,

Diabetes, 40. 129
Diarrhoea in adultis, 175
——— quomodò ſananda, 175
Digeſtio mala, 51
Dolor diuturnus, 68
Dolores inflammatione comitati, 63
——— ſtatâ quâdam horâ rediuntes, 97
——— quibus temporibus exacerbantur, 201
——— qui ſanguinis miſſionem poſtulant, 294
——— qui catharſin exigunt, ib.
——— ex vulnere nati, 379
Dyſpnoea, 23. 298

E

Empirici, quibus non adhibenda fides, 409
Epiglottis, 243. 246
Epilepſia, v. Comitialis morbus.
Eryſipelas, 138
Exanthemata, 138
Exercitationes, 70
——— quandò juvent, 70
——— quandò noceant, 73
——— quandò ſuſtineri nequeunt, 82
——— poſt aſſumptum cibum, 92
Exinanitiones in febribus, quandò inſtituendae vel promovendae, 117
——— quales optimè evadunt, 200

F

Febris intermittens alios morbos ſaepè ſimulat, 322

Febris intermittens miſſionem ſanguinis quandò poſtulat, 322
—— —— Proteiformis morbus, ib.
—— acutâ laterum dolore ſociata, 326
Febris calor undè aeſtimandus, 214
—— increſcentis ſigna, 217
—— malignitas à quo dependet, 176
—— intermittentis paroxyſmus, citiùs quàm ſolitus fuit ſuperveniens, quid indicat, 227
Febres ardentes, 214. 216. 218. 224
—— caſtrenes, 83. 104. 118
—— caſtrenſes maculis purpureis comitatae, ib.
—— continuae, 14. 115. 183
—— diarrhoeâ rarò finitae, 45
—— inflammatione comitatae, 215. 219
—— intermittentes, 48. 227. 322
—— languidae, 325
—— lethales, 46. 102
—— malignae, 113
—— nervoſae, 324
—— petechiales, 104, 105
—— putridae, 183
—— remittentes, 227
—— ſimplices continentes, 115
—— tormentis bellicis vulneratorum, 78
—— varioloſae, 400
—— quandò catharſin poſtulent, 101
—— quibus adſint aphthae, 183
—— quibus adſit diarrhoea, 114
—— quibus delirii periculum immineat, 207
—— quibus adſit haemorrhagia, 118. 215
—— quibus langueat pulſus et calor deficiat,

Febres quibus è naribus ſtillet ſanguis, 215
——— quibus ſit pulſus parum diſtinctus, 57
——— quibus ſuperveniat inſania, 87
——— quibus ſuperveniat morbus arquatus, 119
——— quibus adſit vomitio perpetua, 168
In febribus ſymptomata bona, 142. 183. 213
——— ſymptomata mala ex alvo liquidâ, 213
——— ex aphthis, 183
——— ex corporis jactatione, &c. 177
——— ex linguae ſordibus, 113
——— ex manibus tremulis, ib.
——— ex manuum retractatione, 206
——— ex mente aberranti, 179
——— ex oculis, 102. 208
——— ex ſiti, 216
——— ex ſudoribus, 46. 217
——— ex tonſillarum dolore, 102
——— ex voce, 102
——— ex urinâ, 205. 327
——— arteriarum pulſus maximi eſt monenti, 323
——— cerebrum malè affectum denotantia, 205, 206. 216
——— delirium, 179. 207. 232, 233. 327
——— exinanitiones quando inſtituendae, 117. 215
——— hypochondria nimis ſtricta, 209
——— mens a ſtatu naturali aberrans, 179
——— phrenitis, 232
——— rigor diebus criticis, 218
——— ſanguis quandò mittendus, 219

In

In febribus quandò sudor non est sistendus, 116
Febricula puris generationi convenit, 144. 160
——— hectica, 172. 373.
——— Anglicè dicta milk-fever, 363
Ferocitas aegri quid denotet, 229
Ferruginea remedia quibus conveniunt, 121, 164
——— quandò tenellis administranda, 122
Fistula latens, 165
Flatuum abundantiâ dolores comitati, quomodò tractandi, 198
Fluor albus, 77
Fluxus haemorrhoidalis, 8
Foetus, quo casu quàm citissimè extrahendus est, 349
Fonticuli inter scapulas ad tussem levandam quandò utiles, 308
Freind de variolis sententia, 404
Fuller singularem gulae purgandae methodum proponit, 388

G

Gangraena, 4. 6, 7
——— quae sponte nascitur, 54
Glandulae guttutis pituitâ farctae, 86
Glanduloſae partes inflammatae, 162
Glandulosus tumor, 186
Glottis, 243. 246
Glutinosa humorum temperies, 192, 193, 194, 195
——— materies simul et ponderosa ex vesicâ ulcerosâ profluens, 318

Glutinoſum in corpore triplex, 130
——— parit obſtructiones, 131
Gravidae mulieris uterus quo caſu clyſteribus excitandus eſt, 350
Gravidarum morbi, 342. v. Puerperarum morbi.
——— unde oriantur, 342
——— quomodo tractandi ſint, 342, 343, 344
——— haemorrhagia, 346, 347, 348, 349
Gravidae tertio plerumque menſe abortant, 343
——— urinae difficultate ſaepe laborant, 511
Gulielminus de ſanguine, 62
Gutta ſerena, 88
Gutturis glandularum infarctio, 86
——— muſculorum inflammatio ſeu infarctio, 86

H

Habitus corporis tenellulus, 82
Habitus morboſi cauſa, 60
Haemorrhagia, 24. 27. 103
——— ex pulmone, 329
——— in febribus caſtrenſibus, 118
——— ex utero, 346
——— ex vaginae canaliculis, 347
Haemorrhois, 8. 200
Halitus foetidus in morbis ſcorbuticis, 173
Hecticus calor, 171
Hectica febricula ex vomica putrida, 172, 373

Hepar inflammatum, 289
——— obſtructum, 291
Hepatitis diſtinguitur à pleuritide, 275
Humor atrabilarius, 181
Humorum fluxiones, 74, 75
——— putredo, 134
Hippocratis de lochiorum ſuppreſſione ſententia, 362
Hydrops, 106, 107, 108, 109. 193
——— undè oriri poſſit, 140. 290
——— diarrhoeâ comitatus, 159
——— ſolis catharticis non eſt ſanandus, 108
Hydrope thoracis laborans quomodò ſe reponat, et quid indè cognoſcatur, 109
Hydropicis morbis mala ſymptomata, 107
Hydropicis non rarò accidit inflammatio, 158
Hyoidis oſſis muſculi inflammati, 245
Hypochondrii inflammatio in febribus, 209
Hypochondriacae affectiones, 110. 112. 129. 181. 195. 240, 241
Hypochondriacum morbum quid conſtituit, 240
Hypochondriaci quomodò tractandi, 257, 258, 259
Hyſtericae affectiones, 13. 95. 110, 111, 112
——— haud rarò largas exinanitiones ſinunt, 110
——— quibus ſignis comitantur, 112
Hyſtericis paſſionibus non ſemper convenit catharſis, 337

Icterus, 119. 181, 182. 193. 287
——— febri ſuperveniens, 119
Icteri ſpecies quae à pituitâ lentâ & glutinoſâ oritur, 287
——— quomodò haec ſpecies ſananda eſt, ib.
Icterici non integrè ſanati, 292
Icericis color non ſemper eſt flavus, 288
Jecur obſtructum, 43
Infantes recentèr nati quandò paſci debent, 368
——— rachitide laborantes, 374, 375
Infantibus anodyna exhiberi poſſunt, 370
Infantium quomodò deducatur meconium, 368
Inflammatio ex curſu humorum impedito, 163
Inflammatio glandularum, 162
Inflammationes undè, 140
Inſania febri ſuperveniens, 87
Inteſtinorum morbi & dolores, 10. 42. 283, 284, 285. 335. 338
——— dolores clyſteribus ex aquâ & aceto ſanentur, 285
——— morbi cum abſceſſûs rupti ſignis, 286
——— torminibus laborantes ſeſe torquent, 221
——— torminibus obnoxii victu parco uti debent, 42
——— dolores, flatibus comitati, unde oriantur, 335

Inteſtinorum dolores quomodò tractandi, 340, 341
——— flatus omnes homines habent, 341

L

Lac ad victum phthiſicorum quomodò exhibendum, 170
—- puerperarum quomodò in mammas adducatur, 364, 365
Lactis in mammis defectus, 365
——— in mammis ſuppreſſio, 366
Laryngis ſuperiora morbo occupata, 246
Lateris dolor, 34. 98, 270. v. Pleuritis
——— ——— febre acutâ comitatus, 326
Lethargus, 238
Lethargici, 58
Leucophlegmatia, 140
Lien tumidus & hebes, 291
Limaces hortenſes phthiſicis utiliſſimi, 304
Linguae ſordes, 204
——— radix tumoribus occupata, 243
Lippitudo, 19. 21
Lochia ad quod tempus protrahi debent, 583
——— diutiùs protracta, 360
Lochiorum fluxio nimia, 358
——— ——— quomodò ſananda, 359
——— ſuppreſſio, 590
——— ſuppreſſionis cauſae, 360
——— de ſuppreſſione Hippocratis ſententia, 362
Lues venerea, 161
——— ——— ſurditatem adfert 252
——— ——— ſpinam ventoſam parit, 376
Lunae et ſolis concurſus dolores afficit, 201

M

Maculae purpureae in febribus caſtrenſibus, 118
——— in habitu putrido, 139
——— in morbis chronicis, 158
Mammae ex ſcirro malè ſe habentes abſciſſae, 380
Mania, 17
Maniaca fit puerpera ex lochiorum ſuppreſſione, ut ait Hippocrates, 362
Mead de exungiâ viperinâ, 411
Meconium infantium quomodò deducatur, 368, 369
Medicorum Chinenſium in morbo comitiali praxis, 239
Medicinae ſcriptores de fonticulis in tuſſe, 308
Medicorum error de bilis redundantiâ, 51
Medulla curſum quendam peragit, 410
Melancholia, 195. 241. 257. 258, 259
Melancholici quomodò tractandi, 257, 258, 259
Meliceris, 156
Membra abſciſſa fluxionibus ſaepè comitantur, 79
Menſes nimiùm abundantes, 64, 65. 77
——— remedia proritantia, 66. 76
Menſtrua retenta, & ideò ſanguis è pulmone rejectus, 306
Menſtruorum ſuppreſſio, 197. 306
Morbus comitialis, 88
Morbi acuti delirio & phrenitide comitati, 232
——— chronici undè oriri poſſint, 140

Morbis

Morbis chronicis vexati, 134
Morbi ſcorbutici, 173
Morbilli, 157
Mulierum dolores, 197. v. Gravidae, Puerperae, &c.

N

Naſus à lue venereâ perit, 252
Narium haemorrhagia, 24 27
——— quandò ſiſtatur, 151
Nephritis, 184. 315. v. Calculus
Nervorum diſtentiones, 1, 2. 37. 239
——— quandò lethale praebent ſignum, 235
——— morbum comitialem diſtinguunt à comate, &c.
——— in infantibus, 127

O

Obeſi, 9
Oblivioſus febricitans, 169
Obſtetricum culpa reprehendenda, 351
Obſtructio undè oriatur, 196
Obſtructiones ab inerti glutinoſo, 131
Oculus morborum index, 148, 149, 150
Oculo velaminis obtendendi uſus, 225
Oculorum fluxiones diuturnae, 221. 224, &c. v. Ophthalmia.
——— inflammatio, 21, 22. 220, 221, 222, 223, 224, 225
——— color flavus, 141
——— color ruber, ib.
——— rubor in phrenitide, 231

Oedema,

Oedema, 155
Olivum scorpionis ictum sanat, 418
Ophthalmia, 220, 221, 222, 223, 224, 225, 226
——— collyriis exasperetur, 223
——— an vesicatoriis levari possit, 224
——— cùm adsit luis venereae suspicio, 226
Opium in deliriis quandò prosit, 237
——— pro veneno habitum, 412
——— est venenum inebriant, 413

P

Palatum inflammatione laborans, 244
Pancreas exulceratum, 339
Paralysis, 91. 238
Paraphrenitis, 289
——— distinguitur à pleuritide, 274
Paroxysmus in febre intermittente, priùs quàm solitus fuit, supervenions, quid indicat, 227
Partes extremae frigescentes & extenuatae quid periculi futuri denotant, 80
Passio hysterica, 13. v. Hystericae affectiones.
Pediluvia tepida ad calorem hecticum mitigandum, 171
Peripneumonia, 260. 269. 273. 298. 301
——— ubi ponit inflammationem, 260
——— largissimam sanguinis missionem postulat, 261
——— à pleuritide parùm differt, nisi sede, 262
——— unde oriatur, 273. 298. 301

Peripneumoniae ſigna à Boerhaave deſcribuntur, 264.
——— verae indicia, 333
——— ſanandae ratio, 333
——— nothae ſymptomata, 334
——— curatio, ib.
In peripneumoniâ ſaevâ ſanguis emiſſus eſt admodùm tenuis, 263
——— reſolutio, 264, 265. 267
——— ſuppuratio, 265. 268
Peripneumoniâ laboranti qualis vivendi ratio eſt evitanda, 269
Peruviana cortex quandò profit, 115. 227
Peſtis, 157
Petechiae, 104. 105
Pharynx cùm laborat quid efficitur, 247
Phlegmones, 138
